# DE

# STUARTI MILLII

# INDIVIDUALISMO

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI THESIM PROPONEBAT

HENRY MICHEL

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

PHILOSOPHIÆ IN COLLEGIO HENRICI QUARTI PROFESSOR

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1895

# DE
# STUARTI MILLII
# INDIVIDUALISMO

30625. — PARIS, IMPRIMERIE LAHURE
9, RUE DE FLEURUS, 9

# DE
# STUARTI MILLII
# INDIVIDUALISMO

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI THESIM PROPONEBAT


HENRY MICHEL

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

PHILOSOPHIÆ IN COLLEGIO HENRICI QUARTI PROFESSOR





PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1895

IN MEMORIAM

PARENTUM

# INDEX CAPITUM

# DE STUARTI MILLII
## INDIVIDUALISMO

---

## PROOEMIUM

*Quid, ineunte nonodecimo sæculo, Angli de rebus politicis senserint, duobus præcipue viris impellentibus.* — I. *Benthamus.* — II. *Coleridgius.* — III. *Quid utrique Millius debuerit.*

Millius affirmat duos viros, ineunte hoc sæculo, plurimum apud cogitantes cives suos valuisse, præcipue quod ad res morales et sociales pertinet, Benthamum scilicet et Coleridgium; imo, nullum esse Anglum, nostra quidem tempestate, quin, velit nolit, multa sive ab hoc sive ab illo assumpta animo ac cogitatione teneat; id est, de rebus humanis ea profiteatur, quæ unius aut alterius principiis et nitantur et confirmentur[1]. Eodemque loco id addit noster : si quis principia utriusque adeptus, utriusque doctrinam mira quadam arte conjunxerit, huic nullam partem anglicæ philosophiæ alienam jam esse.

Hic autem demonstrare conabimur ipsius Millii id proprium et peculiare in socialibus rebus et politicis fuisse,

1. Stuart Mill, *Dissertations and Discussions*, vol. I, p. 397.

quod alterum per alterum et perfecerit et correxerit; ita ut, in opere quod nobis reliquerit, appareant junctura quadam arctissima invicem cohærentes optimi anglicæ cogitationis, (quantum ad primos triginta hujus sæculi annos spectat) adspectus.

Quod si illustravero, necesse est lux vividissima in altera quæstione simul diffundatur, et ea quidem admodum obscura et disputata : quomodo scilicet *Individualismus* cum *Socialismo* consonet. Etenim, seu quidquid de re œconomica senserit Millius verum id omnino esse profitemur; seu non nihil, pro parte nostra, repudiamus (et aliquid, revera, repudiabimus), nulli non liquebit philosophum nostrum ad formam sane excellentem individualismi evasisse, quæ quodcumque in ipso socialismo rectum, et, ut ita dicam, legitimum esse videatur, retineat ac congreget.

Hujusmodi opus perfici posse haud scio an alio loco probaverim[1], et fuisse inchoatum apud nos Gallos, et tentatum a nobilissimis quibusdam ingeniis; neque aliud demum esse nisi regressum ad spiritum illum altissimum generosissimumque, quo, octavo et decimo sæculo, individualismi fautores nostrates afflati sunt. Millius ipse, artibus his usus quæ ipsius sint, neque semper cum illis quæ noster comprobat Renoverius, consentiant; ceterum, ratione ea disserendi innixus, quæ rationi ejusdem minime consentanea sit, ad similiorem quamdam conclusionem pervenit; licet ea, quod ad logicam attinet, solo minus solido apud Anglum philosophum ideo constet, quia minus solida fuit ipsa inves-

1. Cf. librum nostrum cui inscribitur : *L'Idée de l'État*, l. V, chap. II.

tigandi ratio. Quare fit ut, quisquis anglicam cogitationem progredientem intuebitur, aut res sane nobis viciniores perscrutatus, quæret quo pacto philosophia quævis socialis et politica hanc societatem, cujus pars ipsi sumus, ad meliorem statum perducere queat, multum ille philosopho nostro debeat.

Sed, priusquam Millium cogitantem consideramus, et doctrinam ejus de re œconomica nec non et politica, evolvimus ; aut naturam individualismi, cujus auctor fuit, finimus ; denique, qualia ex hac investigatione exstent seu singularia, seu generalia, concludimus (qui est finis et ipse ordo hujusce opusculi), par est prius designare, duce ipso Millio, (neque enim alter ullus melius cognovit, vel plus intus et in cute arbitrium fecit de utriusque illius magistri doctrina) quid operis perfecerint et Benthamus et Coleridgius, vel quam in viam sui ipsorum temporis mentes immiserint : quod in hoc *Proœmio* extemplo continebitur.

## I

Quidquid ad philosophiam politicam scientiamque socialem attinet, tamdiu apud nos sordidum derelictumque jacuit, imo, adhuc jacet, aut certe tam inordinate tentatur, ut vulgo ignoretur quam præcellens in philosophia politica Benthamus fuerit. Si eorum libros qui philosophiæ historiam nostro sermone scripserint, evolvas, magnum sane locum, ut morum magistrum, Benthamum tenere videbis ; nec non ut cujusdam doctrinæ auctorem — vulgo utilitarismi — quam tamen nequaquam ipse reperit, siquidem

professus est hanc doctrinam se, magna ex parte, a nostri decimi octavi sæculi scriptoribus, et præcipue ab Helvetio mutuatum esse. Verum enimvero, silent scriptores nostri de philosophia illa juris et rerum politicarum quam tamen Millius (neque unus apud Anglos sic judicat[1]) partem maxime et illius scriptoris et anglicæ cogitationis propriam esse arbitratur.

Equidem, omissis multis quæ Millius huic gratulatur, imprimis, qua vi investigandi et castigandi, tot illius tempestatis legum vitia et detegat et impugnet; aut quale iisdem remedium afferat; aut quo pacto repertam a Bacone methodum ad res morales politicasque detorqueat, quam celerrime attingo hoc, quod Benthamus præcipuum in medium prodidit: quomodo scilicet *legem* conceperit, et qua via administrandam esse rempublicam censuerit. Quæ utraque arctissime inter se cohærent, nec non et cum illa humanæ naturæ notione quam Benthamus sibi finxit.

Lex, ut notat scriptor quidam philosophiæ politicæ[2], videbatur olim apud Anglos usus esse extraordinarii; ad quam nullus, nisi plane coactus, confugiebat, stante in loco legis *consuetudine* : quapropter gloriabantur Angli se plurimum a Gallis differre. Nec inutile est notare plures apud nos seu philosophiæ seu legum scriptores etiam nunc hanc laudem Anglis tribuere; oblitos omnino rariores quondam apud Anglos leges, nunc in usum frequentem et quasi vulgarem

1. Cf. Sir Frederick Pollock, *An Introduction to the history of the Science of Politics* (London, Macmillan, 1890), p. 102.
2. F. Pollock, *loc. cit.*, p. 101.

venisse; adeo ut nusquam audacius legumlatores in eos civilis vitæ actus impetum quasi fecerint, qui ferantur eorum si non oculos, at certe auctoritatem fugere debere. Quæ mutatio tota ex auctoritate unius Benthami prodiit. Ille in mentes civium suorum legis notionem redintegravit; ille legum faciendarum artem civibus suis commendavit.

Quæ enim de lege communiter sentiebantur, ea ab illo conversa fuerunt. Quum Blackstonius, exempli gratia, dixisset legum radices in mysteriis quibusdam omnino incertis et obscuris jacere, demonstravit Benthamus nihil aliud legem esse nisi instrumentum quoddam certum certis finibus attingendis aptissimum[1] : quo nihil notabilius attulit, ut vulgaris legum notio corrigeretur. Hoc etiam, haud ita ferme altero minus, mutavit : ex ordine scilicet enumeravit quibus necessitatibus, in bene ordinata societate, legis sit succurrere. Non tamen universos casus Benthamus intuitus est : nam, prout mox dicetur, arctioribus finibus illum arctior humanæ naturæ notio inclusit. Quæ enim societati cuivis solida et, ut ita loquar, tangenda opus sint, acerrime ac diligentissime cognovit; quibus autem rebus ad animorum, non corporum usus indigeat, ne suspicatus quidem est[2].

Quæ de civitate administranda Benthamus cogitavit insigniora etiam fuisse dixerim, et res politicas, apud Anglos, hoc sæculo, haud mediocriter vim cogitationis illius sensisse : qui, ut multi ejus æquales, nihil antiquius habuit quam ut impediret ne gubernantes opibus suis abuterentur. Ceterum, in tota Europa, aut certe apud eas Europæ gentes quæ duces

1. Stuart Mill, *Diss. and discuss.*, vol. I, p. 373.
2. *Ibid.*, vol I, p. 374

sint ceteris, nullus fere vir præstans idem non meditabatur eodem tempore. Ætate proxima enim, et ea quidem diuturniore, absoluta gubernantis fuerat potentia, qui nihil conatus erat nisi ut vel absolutius gubernaret et latius dominaretur. Abhinc vero inceperat dominatio quædam modestior, quæ, licet subjectis res jam bene et feliciter cedere vellet, ita tamen id ipsum volebat si sibi non male cederet. Philosophi autem id philosophiæ politicæ genus investigaverunt, quo civis ipsius utilitas vere primas partes obtineret. Quos Benthamus imitatus est : et quanquam fines quosdam dissimiles sane a finibus illorum consecutus est (siquidem civitatem ibi immisceri debere affirmavit ubi alii individualismi fautores eam minus potentem facere contendebant), illum tamen idem, quod ceteri, esse conatum affirmandum est.

Neque quidquam melius obstare posse judicavit quominus potentia suprema vi sua abuteretur, quam si nihil gubernantes optarent aliud atque gubernati : nequaquam enim ibi gubernans, definitione ipsa, vi sua abutatur, ubi in unum vota utrorumque coeant. Quod autem est corpus politicum quod nullas unquam utilitates alias habeat ac cives habent universi ? Respondet Benthamus « majorem numerum » esse ; qui nihil aliud sit quam cives universi, repræsentati a majore numero, quod sane necesse est, neque non esse potest. Sic ante oculos habuere, ineunte hoc sæculo, Angli cives æqualitatem politicam tanquam finem quemdam requirendum, et suffragium universorum : quod tamen, ut solet illa gens nunquam non cautior esse et in mutandis rebus prudentior, non esse semel consequendum judicaverunt (ut apud nos factum esse scimus) ; at contra pluribus mutatio-

nibus, et iis quidem rarioribus, efficiendum, quæ aliquid supplementi vel adhuc desiderent. Quod, ut videtur, non diu jam desiderabitur.

Neque, ut supra dictum est, eodem modo Benthamus auctoritatem supremam, jure suo abutentem, impugnat, quo impugnabant fautores individualismi decimi et octavi sæculi apud Gallos et Germanos. Qui primo loco ponebant reverentiam *juris cuique proprii*; et, vel quum invitabant, quod sæpius factum est quam vulgo creditur, potestatem publicam ad interveniendum, ea semper conditione eam invitabant, ut juri cujusque auxiliaretur, nedum noceret. Quod verbum (*jus*) Benthamus nunquam pronuntiat, neque pronuntiare queat pro reliqua sua philosophia. Nempe nihil nisi utilitatum verba pronuntiat, et utilitatum quidem materialium : ita ut in oblivionem, imo, in periculum adducat (et ipse Millius id ei crimini vertit) alteras quasdam utilitates, dico eas quibus communis philosophorum lingua nomen *juris* reservavit[1].

Quo autem pacto cohæreat ratio administrationis, apud Benthamum, cum ratione legis, haud difficulter adspicimus : nempe lex apparet ut præcipuus modus quo finis ille contingatur administrationis ipsius : generalium communitatis utilitatum procuratio. Quo vero pacto utraque ratio cum philosophia hac « utilitatis » quam prædicat Benthamus, sit conjuncta, non minus facile apparet : nam utilis lex, utilis administratio esse debet. Denique intuearis oportet ipsos hos fines quibus cogitatio Benthami inclusa est; quæ quidem neque motus unquam animi, neque *Idealismi* notionem

1. Stuart Mill, *Diss. and discuss.*, vol. I, p. 378 et sqq.

patitur, si velis explicare quid desit apud illum et rationi legis et rationi administrationis. Hæc enim in maxima pericula injicit jura præcipua cujusque, ut jura conscientiæ, quæ sane major numerus neque administret neque judicet; atque ille vitam civilem aliquanto humiliorem facit, dum nullum ei finem nisi utilitates materiales implendas monstrat. Quid autem politicæ illius Benthami desit, posterius tantummodo, ut infra dicemus, apparuit Nostro, qui eam, primo, totam amplexus erat, nullo modo ei repugnans. Radicalis autem pars apud Anglos, facilius contenta quod ad moralem rem et idealem attinet, quam philosophus noster, usque ad hanc diem « utilitatis » principio, et hoc quidem quale Benthamus conceperat, admisso contentam se dictura erat, exceptis mutationibus his, quas tempus non facere, prout fluit, non queat.

## II

Eodem vitio quo sæpissime Benthamum morum tantum scriptorem existimamus, non justam Coleridgio partem facere solemus, quum ignoramus quanta ejus fuerit opera in introducendis ad Britannos philosophicis Germanorum principiis. Alterum scilicet scriptorem, Carlylium nomine, id fecisse præcipui apud nos Anglicarum litterarum scriptores contendunt[1]. Millius autem, quum Carlylium bene noverit, neque insimulari possit eum voluisse facere minorem quam re ipsa fuit (etsi ab eo non mediocriter dissensit), alteri, scilicet Cole-

1. Cf. Taine, *Histoire de la littérature anglaise*, t. V, p. 268 et sqq., et Filon, *Histoire de la littérature anglaise*, p. 580-81.

ridgio, hoc honori tribuit, quod Anglorum cogitationem cum Germanorum cogitatione conjunxerit.

Opinionem quamdam veterem et solidam quoties intuentur Benthamus et discipuli ejus, rogare solent utrum vera hæc an falsa sit; Coleridgius autem et discipuli, quid hæc opinio sibi velit rogant : illi enim judicant, hi intelligere conantur[1]. Benthamus ubi aliquid falsum esse credit, idem subito derelinquit et despicit; Coleridgius autem et fautores ejus vel idæas illas non negligunt quas alteræ, recentiores, magis consentientes cum ipsis factis, excepere; qui dignoscere student *quomodo* illæ et *cur* apparuerint; et quam partem veritatis uno certe die continuerint. Tali modo alter ab altero discrepat : ad hoc, Benthamus consummat, ut ita dicam, decimum octavum sæculum : adeo empirista est et novator, et incredulus, et abstractus, et alienus a sensu historico, et prosaïcus plane; Coleridgius vero, apud Anglos decimum octavum sæculum inter primos impugnat : poeta igitur est, et concreti sensum habet, et historiæ; ceterum, religiosus, conservator et « a priorista », ideo quod decimum octavum sæculum de his omnibus rebus contraria sensit[2].

Neque ante Coleridgium ii defuerant qui, præsentium rerum conservatores, id sibi asseruerant ut libro vel ore impugnarent ea quæ e principiis decimi octavi sæculi in rem politicam transierant, et defenderent adversus novatores ea quæ tempora præterita et historia rerum antiquarum tradiderant. Ii autem, pro Millii nostri opinione (quanquam paulo severius apud eum Burkius, exempli gratia, judicatur),

1. STUART MILL, *Diss. and discuss.*, vol. I, p. 394.
2. *Ibid.*, vol. I, p. 403.

nihil nisi partium quarumdam fautores inanes erant, nedum ulli philosophiæ se dicarent. Id ergo proprium Coleridgius habet, quod e philosophiæ generalis doctrina quædam ad politicam et societatem ipsam vere attinentia extraxit.

Id apud eum maxime peculiare est, quod in omni societate politica et in ipsa conceptione administrationis duas magnas duxit esse utilitates, imo vim duplicem : nempe *Conservationem* et *Progressum*. Fundus autem et solum *Conservationem* præcipue repræsentat : quod fortasse minime justum de his regionibus in quibus solum inter plurimos est divisum, justius est de Britannia, in qua solum minime est divisum (et ipse Millius id animadvertit). Commercium vero et Industria et Artes liberales *Progressum* repræsentant[1].

Qua e doctrina quædam proficiscuntur, quæ quidem ad vitam politicam apud Anglos pertinentia haud minutatim tractanda nunc habemus. Ceterum, Millius minus politicam ipsam in hoc, de quo nunc loquimur, Coleridgio admiratur (quam quidem initium tantum esse haud immerito ait), quam generalem rerum interpretationem quam Coleridgius invocat : id est, duo inter se dimicantia principia, qua dimicatione historia ipsa omnium populorum dividitur et distinguitur. Sic quoque explicatur quomodo diversæ institutionum species vicissim prævaluerint : ita ut quodque tempus vitæ gentium, quisque adspectus societatis humanæ sumat vim suam propriam et proprium præ aliis locum. Omnique re perpensa, in hoc Coleridgius, ut sentit Noster, maxime præcellit, quod in cogitationem anglicam id ipsum

1. Stuart Mill, *Diss. and discuss.*, vol. I, p. 448.

inducit quod Benthamus inde excluserat : id est, hanc opinionem secundum quam « relativitas » quædam inter res est, imo, inter ipsarum rerum ideas, quas nobis fingimus; et notionem admodum germanicam « Evolutionis » cujusdam[1]. Neque ea omnia sunt; nempe, quia præterita religiose respicit, Coleridgius affectus in locum suum rursus collocat, quos Bentæamus e rebus politicis fugaverat. Quod faciens, reducit quoque ille omnia ad « idealismum » pertinentia, quæ Benthamus negligit, imo de industria ignorare vult.

## III

Sic se habet vis utraque quæ, ineunte hoc sæculo, anglicam cogitationem direxit : quæ similiter ab exteris venerunt. Una enim nectitur cum philosophico Gallorum decimo octavo sæculo impulsu; altera, cum reactione adversus hunc impulsum; quam quidem Germani quum non plane inchoaverint (quæ inchoatio apud Gallos quoque facta est), ideo tamen laudandi sunt quod docti apud eos viri formulas maxime lucidas excogitaverunt, quibus ea doctrina est expressa, quam cum schola theocratica Gallica communiter profitentur[2]. Quomodo id factum sit, ut Millius vicissim vim utriusque senserit; quid ab utroque mutuatus sit; quo pacto denique alter cum altero apud eum consenserit, ad formandam hanc mixturam originalem, quæ est

1. Herbert Spencer, qui vividius quoque hoc sensit, Coleridgium annumerat inter cogitationum suarum magistros ac duces.

2. Cf. *L'Idée de l'État*, livre I.

illius philosophia socialis et politica, enucleare pars erit præcipua opusculi nostri. Primum rem nonnihil illustrabimus, dum cogitatio ipsa Nostri quomodo talis evaserit, quæremus.

# CAPUT PRIMUM

## Historia Millii cogitationum.

I. *Quamdiu mero Benthamistharum radicalismo assenserit.* (1820-25.)

*a.* Quomodo Millius a patre in rebus politicis informatus fuerit. — *b.* Quomodo a se ipso. — *c.* Quæ scripta tunc temporis ediderit. — *d.* Quid de re politica et œconomica Millius ejusque amici crediderint.

II. *De priore idæarum Millii immutatione.* (1826-30.)

*a.* Quid a Coleridgianis, a Germanis, a Gallis scriptoribus Millius mutuatus sit. — *b.* Perlecto illo quem adversus patrem suum ipsius scripserat Macaulaïus opusculo, Millius immutationis suæ conscius fit. — *c.* Quæ scripta tunc temporis ediderit.

III. *De posteriore idæarum Millii immutatione.* (1830-40.)

*a.* Qualis immineat Nostri cogitationibus conversio. — *b.* Quid illi Tocquevillius attulerit. — *c.* Quid uxor de rebus œconomicis docuerit. — *d.* Quæ scripta tunc temporis Millius ediderit.

IV. *Summarium et conclusiones.*

*a.* Politicorum et œconomicorum Millii operum series. — *b.* Breviter adumbratur quomodo inter annos 1826 et 1840 Millii cogitationes progressæ sint.

Ipse Millius narravit cogitationis suæ de rebus socialibus atque politicis annales, pro sua assueta diligentia notans quo tempore magnæ factæ sint mutationes, et quali instinctu. De quibus rebus « *Autobiographiam* » habemus ducem excellentem; ceterum, duas « *Vitas* » a Bainio con-

scriptas, quarum altera « *Johannes Millius* » inscribitur, et de juventa filii ejus amplam documentorum copiam præbet; altera « *Stuartus Millius* ». Quæ quum brevior sit, tum haud minus accurate confecta[1].

## I

Satis notum est qua educatione ingenium philosophi nostri sit informatum, et quomodo ad hanc doctrinam, quam Benthamus protulerat, a patre ipso conversum. Necnon invenimus et in narratione quam Millius ipse dedit[2], et in opusculo, multo pleniore, quod Bainius scripsit[3], qua necessitudine familia Nostri, adhuc adolescentuli, cum Benthamo esset conjuncta. Denique scimus res sociales et politicas citissime præcoci huic ingenio placuisse, cui hoc mire contigit, ut non modo resisteret cuidam educationis rationi ad exhauriendam plane in annos sequentes animi vim aptiori, sed etiam magnum ex ea fructum perciperet.

Nempe puer, haud magis undecim annos natus, legebat patri probationes suas corrigenti, librum manuscriptum de *Historia Indiæ*; nec raro, ut ipse ait, quædam annotabat, quæ non vi quadam carerent, de societate perpolienda, de institutis et actis administrationis[4]. Secundo inde anno, suus eum pater in quæstiones œconomicas inducit : imo, jubet

1. *James Mill*, a biography, by Alexander Bain (Longmans and Green, 1882). *John Stuart Mill*, a criticism, by Alexander Bain (Longmans and Green, 1882). Cf. *Life of John Stuart Mill*, by W. L. Courtney (Londres, 1889).
2. *Autobiography*, trad. française, p. 52 et sqq.
3. Bain, *James Mill*, p. 71 et *passim*.
4. *Autobiography*, trad. fr., p. 23.

res eas penitus introspicere [1], quum apparet liber ille, cujus Ricardus auctor est; et quotidie, dum una ambulant, pater filio partem quamdam hujus scientiæ explicat, quam postero die, filius patri, et eam quidem accurate conscriptam, ipse reponat. Quæ si non satis lucide exponitur, eam tractat atque retractat, donec judicanti nihil jam magistro desideratur [2]. Quod quidem notandum, ut intelligatur minime esse mirabile si Millius maturius ad res œconomicas politicasque accessit, et ea mente quam pater, utriusque scriptoris (Benthami et Ricardi) amicus, in filio suo non facere non poterat.

Postea, ut ipse Millius inquit, se ipse educaturus erat. Quod incepit fere anno 1822, sedecim annos natus; primumque ea educatio, quæ in legendis quibusdam Benthami libellis constitit, et aliquot colloquiis vel communibus studiis cum amico quodam cui nomen Austinus, eo evasit ut consuetudines priores plane confirmaret. Ad hanc diem, extrinsecus doctrinam Benthami adolescens receperat; nunc vero ipse eam sibi assumit, quippe qui quo hæc tendat, quid valeat, primum intellexerit; ita ut notio « maximæ illius felicitatis », quam adhuc quasi clausis oculis erat complexus, ac, discipuli instar, dictitaverat, tum primum viva in animo ejus facta sit. Et jam transformatus fuit, atque opiniones ejus factæ sunt magis cohærentes quam antea, vel quam ipse fieri posse crediderat. Doctrinam et fidem et revera religionem jam habuit, cui prædicandæ et propa-

1. *Autobiography*, trad. fr., p. 25.
2. *Ibid.*, p. 26.

gandæ impendere parat vitam [1]. Notandum sane illud mirabilius apud ingenium potius rerum ipsarum quam idealismi cupidum, scilicet semper Nostrum quasi impetu quodam superiore instinctum, idæas sibi assumpsisse, quibus vita dirigeretur. Impetu evanescet ex ejus animo religio idæarum Benthami, velut impetu eadem collocata fuerat.

Qualis factus fuerat anno 1822, talis permansit usque ad annum primæ evolutionis (1826-1827). Per totum hoc tempus politicas partes tenet quas nominat vulgus « radicalismum benthamisticum ». Harum partium opiniones tuetur omnes; neque cum ceteris tum familiariter conversatur, nisi cum ejusdem magistri discipulis, Johanne et Carolo Austino, et futuro Græcarum rerum scriptore Grotio [2]. Tunc capit etiam consilium formare cum amicis cœtum quemdam, in quo, quindecimo quoque die, opusculum aliquod legendum esset, ac disserendum de rebus politicis moralibusque, unica regula assumpta, scilicet principio « utilitatis ». Unde nomen ipsum societatis [3] « Societas utilitaris », quæ quum in sinu suo amicissimum quemdam ipsius magistri haberet, potuit in domo ejus usque ad annum 1826 congregari.

Quum, anno jam 1823, particeps « Orientalis societatis Indiæ » esset factus, extemplo temporis sui duas effecit partes (quod perstitit per triginta quinque annos), alteram muneribus ipsis officii consecratam, alteram labori scriptoris. Ut in variis quibusdam Ephemeridibus [4], ita etiam collabo-

1. *Autobiography*, trad. fr., p. 64.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 69 et sqq.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 75–76.
4. Enumerantur *Ibid.*, trad. fr., p. 85–86.

ravit statim ab initio in Collectaneis a Benthamo conditis (1825)[1]. Quæ Collectanea ideo creata erant ut organum « radicalismi » forent adversus organa duo magna, quæ ceteræ partes possidebant[2]; nec defuit quin multum motui de « mutatione electorali » faverent. Emebantur enim non mediocriter et legebantur hæc Collectanea; usque adeo ut aliquot post annis, Millius, quum jam non talis esset qualis anno 1825, non dubitet fateri plus tumultus in Britannia, talia Collectanea fecisse quam pro veris scholæ suæ, hoc certe tempore, copiis[3].

Notiones autem politicæ hujus scholæ, cujus participes non ita inter se de omni re consentiebant[4], expressæ sunt si non plane perfecte, at certe perfectius, in claro illo scripto a patre Nostri elaborato quod inscribitur *On Government*. Ut juniores societatis hujus fautores, inter quos primus Noster, id, exempli gratia, apud auctorem opusculi reprehendebant, quod admiserat mulieres jure suffragii excludi posse; ita profitebantur omnes has paginas opus esse absolutum philosophiæ politicæ[5]. Doctrina autem ibi erat suffragii peculiariter democratici : nempe gubernatio rerum publicarum, prout Benthamus censuerat, in manibus universorum fere civium, quam paucissimis exceptis, esse debebat. Ceterum, hæc doctrina non nitebatur notione qualibet abstracta, ut *Libertatis* vel *Juris* humani (nempe vividissime olim Benthamus adversus talia principia certaverat), verum idea, et

1. *The Westminster Review.*
2. *The Edimburgh Review* et *The Quarterley Review.*
3. *Autobiography*, trad. fr., p. 96.
4. *Ibid.*, trad. fr., p. 98 et sqq.
5. *Ibid.*, trad. fr., p. 99.

ea quidem singulariter materiali, « esse quasdam stabilitatis conditiones, quibus deficientibus, respublica esse non possit[1] ». Nec quisquam erat inter juniores societatis participes, qui huic doctrinæ non adhæreret, et ipse Millius sic profecto sentiebat.

Neque inter se tantummodo colloquebantur participes : cœtum enim suum relinquebant, certaturi incruente quidem, verum vehementius, cum adversariis. Etenim apud Nostrum invenimus narrationem controversiæ cujusdam cum cœtu aliquo Owenistarum habitæ[2]. Alteri doctrinam magistri sui defendebant; alteri principia œconomiæ politicæ, qualia condiderant Malthusius et Ricardus et ipse prior Millius, aliique inferioris loci. Tum ab uno inter præcipuos hujus temporis œconomicarum scriptores, Cullochio, incitati, Millius et hujus amici consilium ceperunt novum cœtum condere, in quo diversæ partes starent, assuescerentque dicendo. Quod factum est; et novi cœtus laboribus diligentissime Noster interfuit[3], qui cœtus primum inter « radicales philosophos » et « legistas » harum partium quibus nomen « *tory* » imponitur, divisus, deinde tertiam recepit divisionem, qua die « Coleridgiani » accesserunt, principia ipsi liberalia tuituri, sed ea quidem præceptis omnino abhorrentibus a « Benthamistarum principiis » innixa. Quæ accessio anno 1828-1829 evenit. Tum Millius multa jam animo conceperat, quibus sua ipsius præcepta et socialia et moralia funditus eversa sentiebat; et, conversantibus Coleridgianis, magis magisque mu-

1. *Autobiography*, trad. fr., p. 101.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 117 et sqq.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 119 et sqq.

tabatur. Sed jam, ad posterius tempus historiæ mentis ejus pervenimus : antea breviter concludendum est.

Quod spectat ad œconomiam politicam, doctrinam magistrorum hujus scientiæ adhuc retinet Noster : adversarius enim est socialistarum ; ceterum, ad nihil magis attendit quam ad ea quæ tractaverunt Ricardus et Malthusius : populationem scilicet, et valorem ; repartitione vero divitiarum nullo modo tunc esse sollicitatus videtur. In politica, hanc profitetur opinionem, suffragium quam latissime esse extendendum, ut eædem sint utilitates et eorum qui gubernant, et eorum qui gubernantur ; quin, jam velit mulieres locum aliquem habere in administranda republica ; quam idæam, ut scimus, vehementissime postea coluit, expressitque in opusculo quodam *Subjection of Women*. Nequaquam vero tum Millius confugiebat ad principium quodlibet metaphysicum vel morale, ceu « Libertatem » et « Jus », quum nihil respiciat nisi utilitatem. Denique, de multitudinibus anxius, ita anxius est, ut commoda tantummodo materialia earum intueatur. « Homines reformare[1] », ut dixit ipse, cupit : sed quum omni affectuum cultura careat, et e ratione quadam poeticam potentiam plane reformidet, et ad sensuum vim in suspicione habendam vel eo impellatur quod « benthamismi » adversarios multum contra se et amicos suos objectionibus hujuscemodi uti expertus est ; ceterum, quum, controversia ipsa impellente, verba hæc « sensus nimii, generalia eademque parum certa » ut admodum « probrosa » adhibeat[2],

1. *Autobiography*, trad. fr., p. 126.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 105.

Millius hoc tempore bonum hominum sibi fingit connexum cum mutatione quadam plane intellectuali, qua homines ii fierent qui melius dijudicarent quæ sit ipsorum utilitas, sed ea quidem solida et materialis.

## II

Narravit Millius simplicissimis iisdemque pulcherrimis verbis (ita ut, hæc legentes, ad clarissimas et quidem magis oratorias quas Jofferius scripsit paginas referamur) quanta idæarum suarum perturbatione ac conversione æstuare cœperit circa autumnum anni 1826. Qui cogitationis æstus, quo habitus totus mentis ejus erat transformandus, ita ut « maximam felicitatem » finem vitæ ducere desineret, ad nos tantummodo hoc attinet quod idæas quoque ejus sociales et politicas transformavit : hoc solum nunc intuebimur.

Ea mutatio cogitationibus anterioribus præparata fuit : nempe Noster ipse narravit se, illo ipso tempore quo Benthami philosophiam maxime coleret, quibusdam poeticis operibus, neque his multum lyricis fuisse permotum, et quibusdam lectionibus[1] evectum esse in regionem affectuum, et segregatum ab opinionibus sectatoris meri. Neque tamen hoc aliud fuisse credendum est, nisi semen quoddam mutationis moralis ; quod tacite crevit, et apparuit aliquanto posterius. Tria autem momenta mentem Nostri ab hoc anno (1826) inclinaverunt : quæ prius judicanda sunt quam effecta eorum consideramus : nempe vis discipulorum Cole-

1. *Autobiography*, trad. fr., p. 108.

ridgii; dein vis quorumdam librorum quos germanice scriptos legerat; deinde quorumdam quos gallice.

Ut supra dictum est, in eo cœtu controversiarum qui, suadente Cullochio factus est, controversaturus erat Millius cum quibusdam Coleridgianis; et cum nonnullis arctam conjuncturus amicitiam, et idæarum eorumdem sensurus seductionem. Tamen unus certe erat, quocum antea amicitia erat connexus, Fredericus Mauritius scilicet : qui, quum adhuc vehementissime inter se disceptavissent de propria utriusque philosophia[1], repente mutati sunt invicem quo die Millius intus transformatus est, tum lumine hoc conspecto, quod ipsum vitæ finem illustraret, tum foco quodam poeseos in animo incenso, agente vi et musicæ et carminum[2] : itaque, non jam inter utrumque disputabatur, sed paulatim consentiebatur. Sic, Millius a novis istis amicis eo est adductus ut eorum magistros legeret. Quid ex his legendis extraxerit possumus facile ex hoc concludere, nempe quomodo ipse delineaverit quid ad mutandas Anglorum idæas Coleridgius contulerit. Ceterum, notavit ipse[3] quæ novæ idææ in locum priorum successerint apud se : quo testimonio mox usuri sumus, quum indicabimus qui fructus hanc mentis agitationem secuti sint.

Quo tempore Coleridgiani sic mentem ejus mutabant, et eum incitabant ut adversus decimum octavum sæculum staret,

1. *Autobiography*, trad. fr., p. 146.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 137-43.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 155.

Germaniæ etiam contactum plane sentiebat : jam linguam germanicam a nonnullis annis noverat (1825) ; tum quidquid Gœthius scripsit tractare incepit[1], qui multum in ingenio ejus operatus est ; et formula hæc poetæ « Vide omnia ab omnibus partibus » inter ea præcepta devenit, quæ promptissimo animo amplexurus esset, ut ipse ait[2]. Formula autem hæc quantum a Benthami præceptis distat !

Enimvero, vis gallicorum operum multo magis eum movit, ut ipse profitetur[3] : quod me paulo accuratius evolvere non sane mirandum est : nam Millius exemplum nobis præbet perrarum Angli cujusdam viri qui, quum Gallorum cogitationibus nonnihil debeat, id non tantummodo fateatur, sed pluribus locis denuntiet, et apud quem gratia tanti debiti corroboretur et augeatur studium nostræ gentis, quod quidem veluti a natura ipsa assumpserat.

A prima adolescentia « Revolutione Gallica » Millius valde permotus erat, cujus historiam annos circiter quindecim natus legit, et jam tum, ut ipse inquit « Revolutio » cogitationem ejus occupavit, « et quasi colorem omnibus ejus juvenilibus studiis imposuit[4] ». Admodum juvenis Galliam inviserat ; anno 1820, aliquamdiu hic, per unum annum solidum, mansit, partim in meridiana regione, partim Lutetiæ, quatuordecim tunc annos natus. Socialitate gallica delectatus est, quum eam britannicæ gravitati conferret[5]. Sed facile

1. *Autobiography*, trad. fr., p. 113.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 156.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 156.
4. *Ibid.*, trad. fr., p. 60.
5. *Ibid.*, trad. fr., p. 53-57.

intelligitur non eum fuisse Nostrum qui comitatem gallicam in cœtibus electis iisdemque elegantioribus degustaret. Contra, id ei curæ erat ut doctos inviseret, et cum his colloqueretur. Quod ei facillime contigit, quum Lutetiæ hospitem habuerit virum insignem, quocum pater ejus prius amicitiam fecerat[1]. Ibi autem multos viros præcellentes partium liberalium vidit, nec non et Sanctum-Simonem[2]. Sic ab ea ætate, cum viris liberalibus Galliæ, « nexus solidos permansurosque facit », et sibi spondet fore ut « conatus eorum mente sequatur haud secus atque ipsam Britannorum politicam », quod consilium sibi gratulaturus erat postea, dum notat « optime ad suum ingenium augendum id egisse »; imo, se liberasse ab hoc vitio apud Anglos vulgari « scilicet quod res generales illic e forma peculiariter Anglica judicentur ».

Per totam autem vitam gallicis rebus Millius mentem intendit : neque enim solum rediit in Galliam, atque tandem hic domicilium habuit, et mortuus est; verum etiam sæpius poetis nostris et historiarum aut politicarum rerum scriptoribus studuit : scripsit enim de multis nostratibus[3]. Quamdiu in Ephemeridibus dictis *The Examiner* scripsit, fere omnia de rebus gallicis ipse composuit : imo, naturam Gallorum nonnunquam adversus istam famam defendit, quam vulgo inter homines, inconsultiores sane, habet hæc natura; et tam vehementer defendit, ut quidam vehementius hanc defendi arbitrati aliquando sint : sic, quum id sibi assumpsisset princeps auctor illorum Collectaneorum quibus *Edinburgh Review*

1. J.-B. Say.
2. *Autobiography*, trad. fr., p. 58.
3. Alfred de Vigny, Armand Carrel, Guizot, Tocqueville, Michelet.

nomen erat, ut locum quemdam tolleret ex opusculo quodam, in quo Millius negaverat Gallos, ut vulgo prædicatur, bellorum esse amatores, vivide Noster repugnavit, quum affirmaret se diverse opinari e permultis observationibus propriis[1]. Ceterum scimus qua vehementia, qua ingenii sublimitate Millius olim dicturus esset pro iis qui Gallicæ Reipublicæ anno 1848 præfuerint, contra unum e civibus suis, qui eos intemperantius judicavisset. Usque ad mutationem rerum nostrarum anno 1851, non solum Millius Galliam studio devotissimo est prosecutus, sed etiam plane rebus illius futuris, quod ad politicam spectat, confidit[2]; et Bainius notat, non sine quodam crimine, quidquid gallicum esset, id Nostrum adamavisse[3]; adjungitque eum rebus politicis Galliæ non tam mente studuisse, quam toto animo incubuisse[4]. Re vera, quodcumque apud nos gravius factum est, Millius alte hausit : quæ senserit de Revolutione gallica, quæ de Revolutione anni 1848, jam dictum est; idem est hujus vividissimus sermo de rebus anni 1830, « quibus, ut scripsit ipse, plane ego nova vita vixi[5] ».

Quum et Galliam et gallicas idæas tanto studio coleret, is erat Millius qui scriptorum et cogitatorum nostrorum vim sentiret. Præcipue permotus est a discipulis illius magistri cui nomen Sanctus-Simon; quorum opera annis 1829 et 1830, florente adhuc schola, evolvit. Quomodo ab iis

1. Bain, *John Stuart Mill*, p. 85.
2. *Ibid.*, p. 93.
3. *Ibid.*, p. 78.
4. *Ibid.*, p. 355.
5. Stuart Mill, *Autobiography*, trad. fr., p. 165.

*tempora critica* ab *organicis temporibus* discernantur, multum admiratus est; illa quidem a multis eodem tempore usurpari animadvertit, et non minus Germanorum esse quam Gallorum; ea autem nusquam exponi forma « adeo philosophica[1] » affirmavit. Primo etiam scripta illius viri cui nomen est Comtus valde Nostrum commoverunt : ipse aptissime delineavit[2] quo cum hoc scriptore commercio sit usus, et quomodo sua ipsius mens cum mente ejus consenserit. In *Autobiographia* firmissime repugnat adversus ea quæ postea concludit Comtus e suis principiis quod ad res sociales politicasque attinet, « adversus systema istius tyrannidis quum spiritualis tunc temporalis, quod haud scio an sit perfectissimum mente humana conceptum, excepto forsan systemate cujus auctor fuit Ignatius Loyolensis[3] ». Tempore autem hoc, de quo nunc loquimur, Millius arbitrabatur se a Comto de principiis non dissentire.

Qua tempestate Comtus a discipulis communis magistri Sancti-Simonis discrepare incepit, ipse Millius hunc « e conspectu amisit », et quidem plures annos. Contra, discipulorum Sancti-Simonis opera usque perlegit : imo, cum uno aut altero eorum[4] conversatus est; quorum œconomiam et politicam mirabatur, quanquam jam tum intelligebat qua parte deficerent. Tamen, consentiens cum his et cum Comto, affirmavit tempus novissimum politicæ scientiæ jam inci-

1. Stuart Mill, *Autobiography*, trad. fr., p. 157.
2. Stuart Mill, *Aug. Comte and Positivism*, trad. fr., p. 74-80. Cf. *Lettres d'Aug. Comte à John Stuart Mill* (1841-46), Paris, 1877.
3. Stuart Mill, *Autobiography*, trad. fr., p. 203.
4. *Ibid.*, trad. fr., p. 159.

pere. Et quæ illi scripserunt cum evolveret, magis magisque credidit scientiam politicam ea ratione uti debere, qua uteretur physica scientia[1].

Jam enumeravi quibus de causis conversæ sint idææ cum politicæ, tum sociales apud Nostrum ; neque cogitandum est talem mutationem vel natam vel effectam celeritate quasi scenica. Ut enim subito quodam visu, autumno anni 1826, animadvertit quam vana adhuc tentavisset, et præcipue, quam late pateret nova hæc rerum ratio, ita nonnisi lente et gradatim diversa sensit de re sociali politicaque[2].

Sensus suos primo in se deprehendit conversos quo tempore Macaulaius adversus ipsius patrem de principiis gubernandæ reipublicæ claram illam instituit controversiam. Nempe operis illius quod *On Government* inscribitur, editio altera anno 1828 apparuerat. Mense autem martio anni 1829, opusculum editum est, cujus auctor Macaulaius[3] politica instituta, qualia prior Millius conceperat, vehementer impugnat; quod opusculum, ut ait Noster, « in me multas excitavit cogitationes[4] ». Nos vero dum diligenter notamus quæ natura fuerit illius eo tempore cogitationum, et conferimus cum iis quæ de re eadem antea professus erat, quid mutationis jam tum in animo Nostri factum sit, quam commode concludemus.

1. Stuart Mill, *Autobiography*, trad. fr., p. 158.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 183.
3. Macaulay, *Essais politiques et philosophiques*, trad. fr., p. 399 et sqq; p. 452 et sqq; p. 500 et sqq.
4. Stuart Mill, *Autobiography*, trad. fr., p. 150.

Primo editum erat opusculum patris ejus anno 1820, in supplemento *Encyclopediæ Historicæ*[1]; et antea diximus tum quid vellet, tum quid apud juvenes, filii amicos, valeret. Anno autem 1829, sensit Noster, perlecto eo, quod Macaulaius contra opposuerat, responso, se non jam eadem ac patrem censere : neque enim jam judicabat ibi bonam esse rempublicam ubi gubernantes et gubernati easdem demum haberent utilitates : quo fiebat ut bona lex *de electionibus* non jam summa artis politicæ esse posset, nedum sapientiæ politicæ[2]; et illa societatis politicæ forma, quam optimam antea Noster habuerat (democratia scilicet repræsentativa) non jam esset absolutum quoddam principium; verum principium « obnoxium et temporibus et locis et rebus ipsis »; et cives pateretur non jam e materialibus tantum commodis in quo reipublicæ genere viverent posse eligere, sed e considerationibus quibusdam ethicis. Quippe ante omnia quærendum esse jam arbitrabatur quid sibi vellet *Progressus*, tum quibus sub conditionibus seu vitæ, seu educationis nationalis facilius fieret; deinde inquirendum quales institutiones melius tam bonum fructum educerent : neque quidquam jam in tota re politica majoris esse momenti sentiebat, quam educationem vere populari reipublicæ accommodatam[3]; nec quidquam plebis magis interesse, sicut et ditiorum hominum, « quippe quos multo magis ineruditum quam eruditum pauperem reformidare æquum esset[4] ».

1. Cf. Bain, *James Mill*, p. 215-21, ubi opusculi summarium reperire est.
2. Stuart Mill, *Autobiography*, trad. fr., p. 151.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 163.
4. *Ibid.*, trad. fr., p. 165.

Itaque principia quæ habuerat Noster penitus immutata cernimus : neque tamen omnia videremus, nisi deprehenderemus quæ nova jam meditaretur de ipsa methodo scientiæ politicæ, aut, ut verius loquar, quo pacto tum et illustrata sint et confirmata in eo quædam quæ sponte in mente ejus vel antea erant nata. Prior enim Millius geometricam rationem ad scientiam ipsam politicam credebat pertinere; Macaulaius vero, rationem experimenti, qualis adhibetur in chimica scientia : errare autem utrumque Noster arbitratus est, quum bonam rei politicæ rationem deductivam quidem esse, ut crediderat prior Millius, affirmaret, sed, ad exemplar rationis « quam adhiberent partes deductivæ physicæ scientiæ[1] »; quod fuit semen principiorum illorum quæ postea explicaturus erat in capitulis adeo lucidis *Systematis Logicæ*, quæ ad methodum scientiarum moralium spectant.

Tamen, quanquam penitus, quod ad rationem ipsam talium quæstionum spectat, turbatus et jam immutatus, nihilominus hoc certe tempore manet Noster et *radicalis* et *democraticus*, quum in rebus generalibus Europæ, tum in peculiaribus Britanniæ rebus; nec quidquam magis impugnandum censet, quam præpotentiam nobilium ac divitium : ita ut, quum multum jam a patre animo distaret, attamen cum eo plane consentiret « quod ad rerum politicarum præsentem statum attinebat[2] ».

Ergo, ut Millius hac ipsa tempestate, dum *Systema Logicæ* meditatur, partem diligentiæ suæ diariis largitur, sic, post

1. Stuart Mill, *Autobiography*, trad. fr., p. 155.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 171.

annum 1829, « societatem disceptationis » dereliquit; nempe « ædificium prioris fidei pluribus locis jam tum labans[1] » secum ipse confitetur; neque vult cogi maturius exprimere, antequam ad fructum venerint, quæ intus ferat et educet; neque tamen secreta mente secum ipse seu dissentiebat, seu hæsitabat; verum enimvero, nova cogitata celerius edere non adeo optabat : quorum certe aliquid jam tum apparebat et in opusculis de gallica politica, quæ producebat *The Examiner*; et in aliis opusculis quæ confecit anno 1831, sub hoc titulo : *Spiritus sæculi*. Quin imo, Carlylius, qui hoc tempore in Scotia degebat, quum hæc opuscula evolvisset, secum ipse reputavit (quod postea auctori ipsi dicturus erat) « exstitisse mysticum quemdam novum[2] ». Quod respuit Millius, ut par est, litteris aggressus demonstrare huic scriptori se nihil esse minus quam mysticum; alter vero pertinaciter contendit hoc se et Nostrum præcipue discrepare, quod « nondum Millius conscius esset se esse mysticum[3] ».

## III

Magna alia quædam mutatio, et ea quidem ultima, cogitationes Nostri renovatura erat: cujus duplex fuit effectus; primum, ut « democratia mera », tanquam idealis considerata, daret locum formæ illi democratiæ quæ exponitur in opere subsequente a Nostro conscripto (*Representative*

1. Stuart Mill, *Autobiography*, trad. fr., p. 149.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 166.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 168.

*Government*), dein ut visa Nostri, quod ad œconomicam attinet, magis consentirent, sinon in præsens, at certe in futurum, cum socialismo quodam moderato[1]. Cui mutationi ipse Noster causas duas peculiares tribuit (quippe qui semper sit propensus ad partem suam ipsius minuendam, et ceterorum augendam), unam, Tocquevillium dico, alteram, feminam illam tanti ingenii, quæ, ab anno 1830, sociata fuit omnibus Nostri consiliis, laboribus omnibus.

Ille quem scripsit Tocquevillius, liber (*Democratia in America*) triplicem videtur habuisse vim in animo Nostri : primum, quod dubitationes ejus jam inchoatas auget de valore principii « majoris numeri », quo uno constet tota respublica ; tum attentum facit Nostrum omnibus vitiis nimiæ compressionis rerum politicarum : non quod hujus modi periculum Britanniæ, ipso Nostro judicante, immineret, sed quo plus vita cujusque loci propria pollebat, quo rarior auctoritas, eo magis timendum erat ne « renovatores » in alteram partem inclinarent : quod, in omnibus controversiis quibus immixtus est, Millius nunquam non spectavit ; et præcipue in controversia de mutatione Legis Pauperum ; affirmatque locis multis se id libris a Tocquevillio scriptis debere, ut jam tum caveret ne incideret « in vitium contrarium ipsi illi vitio quod impugnandum apud gentem suam credidisset[2] ». Denique tertiam hanc utilitatem Tocquevillius Nostro affert, ut quum ipse inhiet semper quo modo mores immutari queant democratia, et mentes, et tota vita, animum quoque Nostri in rem eamdem convertat,

1. Stuart Mill, *Autobiography*, trad. fr., p. 182.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 184.

et hunc in eam viam impellat, quo ingressus eo tempore erat, quum primum arctis Benthamistarum præceptis se liberare inceperat. Eodem tempore, ut liquet, scriptum est opusculum quoque hoc, multo posterius editum, *Utilitarianism*[1] in quo, ethicæ Benthamisticæ elementa congregata apparent tam nova, imo tam inopina, quibus ea plane transformetur.

Nullum tempus vitæ Nostri credo fuisse fecundius; seu intuemur actionem politicam, haud directe se exercentem, sed per amicos illos qui tum radicalismi in Parliamento tenebant partes[2]; seu, directe, per editionem opusculorum quæ placitis suis novis repleret et illustraret. Sed præcipue, post mortem ejus patris (1836) « liberum dat spatium, ut ipse ait, opinionibus suis et placitis, quatenus nova erant, et aliena a mero Benthamismo[3] ».

Quod rei politicæ est, nihil est aliud, hoc tempore, nisi tenor motus cujusdam prius inchoati; quod autem rerum socialium est, et œconomicarum, aliter se habet. Nunquam enim antea Noster in discrimen adduxerat principia hæc præcipua œconomistarum, proprietatem privatam et hæreditatem : nam, quam inimicus fuerit « Owenistis » jam vidimus; ceterum, placita œconomica discipulorum Sancti-Simonis visa illi erant nihil præter utilitatem quamdam minime bonam habere, scilicet, ut præpotentes viri, dum terrificantur, meliorem faciant educationem plebis. Sed inesse

1. Stuart Mill, *Autobiography*, trad. fr., p. 254.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 185 et sqq.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 196.

quiddam in repartitione divitiarum plane injustum, quod refici ipsa œconomia politica et reparari possit, nunquam ad hanc diem Millius conceperat; imo vero, remediorum dulciorum virtuti credebat : ut *jus majoris natu* deleretur, et delerentur *substitutiones*, et diffunderentur doctrinæ, quibus diffusis, « quum populi numerus sponte minueretur, minui quoque miserias necesse esset[1] ».

Impellente ac suadente femina illa de qua supra est dictum, Noster in dies minus « democraticus », vero verbi sensu, mente progressum quemdam socialem fieri posse concipit, quo sic concepto socialistæ nomine dignus esse videtur[2]. Credit tempus aliquod eventurum, quo non jam sint duæ populi partes, altera otiosorum, altera laborantium; quo qui non laboraverit, ille nec manducet; quo laboris fructus distribuantur secundum justitiam; quo stipendium non jam uniuscujusque sit, sed quodammodo, civium omnium. Quum vero libertati cujusque arctissime Millius adhæreat, et systemata socialistarum ob id ipsum ultro respuat, quod libertatem vel negent vel adducant in periculum, videt id hic agi « ut maxima cujusque libertas agendi consentiat cum jure quod omnium sit in universam brutam materiam, per omnes terras sparsam, et cum quodam participandi lucri more, quo nemo non sit communium laborum fructu impertiendus[3] ».

Ceterum rem esse perdifficilem fatetur, neque id sibi assumit, ut denuntiet quibus institutionibus politicis nodus

1. Stuart Mill, *Autobiography*, trad. fr., p. 220.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 221.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 222.

sit solvendus, nec quo tempore. Quin clarissime dispicit duas maximas antea fieri debere mutationes : alteram in indole « ingentis illius gregis inculti, nempe totius plebis » ; alteram, in animo maximi numeri eorum qui prioribus utuntur laborantibus. Credit Millius fieri posse ut per certam educationem homo inducatur « seu ad arandum, seu ad texendum pro patria, haud secus atque ad pugnandum[1] ». Quæ novitas, quum multo profecto tempore indigeat, nequaquam a natura humana discrepat. Nunc instituta et mores, uno verbo cuncta, corroborant utilitatis propriæ amorem : corroborato autem amore publicæ utilitatis, jam facta hominum idcirco transformabuntur.

Quid demum de re tanta sentiret indicat breviter ipse Millius per unum verbum, quod mutuatus erat ab amico Austino : nempe omnes institutiones hujus temporis ducebat « mere temporarias », et gratissime intuebatur quidquid tentarent socialistæ, exempli gratia, « societates cooperativas[2] », quæ ipso spectante condi cœptæ sunt. Ex quo concluditur quantum Noster processerit, ab illo tempore quo cum Owenistis altercabatur, stans ipse pro iis quæ proposuerant Ricardus et Malthusius principiis.

Ipse autem notavit quam dissentiant, quod attinet ad constitutionem societatis humanæ, tres editiones hujus libri qui inscribitur : *Principia œconomiæ politicæ.* Nam in prima, tanta luce illustrantur difficultates socialismi, ut « redoleat mentem socialismo inimicam ». In secunda autem — quæ quidem post annum 1848, multis lectionibus meditationibus-

1. Stuart Mill, *Autobiography*, trad. fr., p. 222.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 223.

que operum socialistarum factis, apparuit — placita nova auctoris jam deprehendi queunt; denique, in tertia « lumine plenissimo placita hæc exstant illuminata[1] ».

Eo tempore, quod ipse inter annos 1830 et 1840 inclusit, politica Nostri diligentia sese exercuit per necessitudines arctissimas, ut ante jam dixi, cum radicalibus Parliamenti; et per multa edita opuscula; tum præcipue, per curas impensas ab anno 1834 ad annum 1840, his Collectaneis quæ prius dicta erant *London Review*, et postea *London and Westminster Review*[2]. Quæ primum dirigenda, deinde (ab anno 1837), pecunia propria sustentanda accepit. Ibi multum laboratum est, subobscurius quidem quamdiu Nostri pater vixit, post ejusdem mortem magis aperte, et ab omnibus collaborantibus et a Nostro, pro parte virili, ut novus « radicalismus philosophicus » jam notam suam peculiarem et quasi colorem sumeret; ibi apparuerunt opuscula Nostri in quibus id contendit, ut lineamenta describeret ipse philosophiæ illius politicæ quæ, ut non omnino nova erat, ita penitus renovata : opusculum de Sedgwickio, imprimis duo opuscula, et ea quidem perfectissima, alterum de Benthamo, de Coleridgio alterum, hoc editum extremo tempore quo dirigendæ huic opusculorum collectioni Millius præfuit. Quam anno 1840 deserit, quippe quem tædeat tot curarum, et tot pecuniæ impensarum. Et jam horum Collectaneorum quæ vocabantur *Edimburgh Review*[3], quæ tantam habent

1. Stuart Mill, *Autobiography*, trad. fr., p. 224.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 190 et sqq.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 210.

audientiam, cooperator fit. Quorum propriæ menti paulatim Noster accesserat, et rursus ipse ad *London and Westminster Review* vocaverat Carlylium, qui multa hic scripta inseruit[1].

## IV

Ab anno 1840, inquit Millius, « non jam mutationem quamlibet idæarum notabo, at tantum progressum certum ac justum earum quæ in me jam tum vigebant[2] ». Ad hoc tempus referenda sunt pleraque magna Nostri opera, præsertim quæ ad scientiam socialem et politicam, et ad philosophiam universam spectant. Cui rei studebimus non in parte historica, verum in parte critica opusculi hujusce, id est in capitulis subsequentibus.

Nihil non, nec ea quidem ipsa pars quam Millius habuit in laboribus Parliamenti (1865-68) et ultimo vitæ tempore (1869-72), vel ea quam habuit in hac societate dicta *The Land Tenure association*, nihil, inquam, non exit, motu quodam naturaliter grassante, ex opinionibus antea ab illo comparatis, tum quum ingenium ejus, ut demonstrare conati sumus, informabatur. Quæ facta, quanquam nonnihil momenti profecto habent, quanquam scriptor quilibet rerum politicarum, earumdemque socialium apud Britannos minime hæc negligere potest, tamen nobis non tanti sunt, quod ad mentem ipsam Nostri declarandam et introspiciendam pertinet, quam res eæ quibus ideo institimus, quia, spectantes eas, spectavimus veras tanti ingenii transformationes, et tanquam con-

1. Stuart Mill, *Autobiography*, trad. fr., p. 197.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 211.

structionem ipsam ædificii, quo continerentur præcepta socialia politicaque Nostri : quem progressum jam brevibus quibusdam verbis finientes ostendemus.

Vidimus Nostrum profectum prius a meris principiis moralibus ac politicis Benthamistarum, a socialibus etiam principiis quæ et Ricardus et Malthusius fovebant, evadentem postremo ad rationem socialem plane contrariam, ad placita politica et moralia non mediocriter differentia. Per totum id tempus, quo corpus sumunt et succum maximæ Nostri idææ, ad Benthamum et ad Coleridgium et ad id quidquid sub nomine eorum ab ipso comprehenditur, apparet usque spectavisse. Hic tantummodo notare voluimus qua conjunctione exteriore et evidente uterque cum cogitatione Nostri consentiat; posterius investigabimus an Millius utrumque in se conciliarit et temperaverit, ita ut Individualismus ille Nostri nihil aliud sit quam societas utriusque jam facta in eo et conspiratio.

# CAPUT SECUNDUM

**Quid de œconomicis rebus Millius senserit.**

*De Millii, quod ceteri ei imputant et ipse fatetur, socialismo quadruplici modo investigatur.*

I. *De civitatis muneribus.*

*a.* Millius necessaria ac non necessaria munera distinguit. — *b.* De necessariis secundum Millium civitatis muneribus. — *c.* De non necessariis muneribus : 1° quæ non adhibito imperio; 2° quæ adhibito imperio exercentur. — *d.* Quod libertas, qualem œconomistarum schola præcipit, intra certos fines cohibenda est.

II. *De laborandi jure.*

*a.* Duplex Nostri hac de re quæstio. — *b.* Examinatur anglicus publicorum subsidiorum usus. — *c.* Examinatur Gallorum de laborandi jure sententia. — *d.* Quomodo Millius accepto principio fines imponat.

III. *De possessione soli, ac de jure possidendi.*

*a.* Quid sibi proposuerit « The Land tenure association » ; et quæ sit Millii doctrina in *Principiis œconomiæ politicæ.* — *b.* De jure possidendi in annalibus generis humani. — *c.* De Millii, quod ad jus possidendi attinet, sententia.

IV. *Millius socialistarum criticus.*

*a.* Quomodo socialistarum systemata distribuat. — *b.* De « communismo ». — *c.* De Sancti-Simonis ac Fourierii doctrina. — *d.* Quid inde consequatur.

V. *Quis fuerit Millii erga socialistas status.*

*a.* Quam iis propinquus. — *b.* Qua ab iis discedat. — *c.* Definitur vera Millii sententia.

Huic libello titulus inscribitur : de Millii individualismo.

Alii vero referentes quasdam opiniones ab illo de gravissimis rebus allatas, quasdam solutiones ab illo laudatas, Nostrum socialistarum numero, nunc vituperantes, nunc laudantes adscripserunt. Ceterum, et ipse, sicut supra vidimus, se socialistam appellavit. Qualis igitur ille est quem vel alii vocant vel ipse socialismum appellat? Quo ex principio, quo ex fonte socialismus iste manat? An cum individualismo simul esse potest?

Posse censeo. Quod quidem facile ex hoc ipso intelligis, quod hanc investigationem aggredior. Cur autem ita sentiam, et quibus verbis illam socialismi et individualismi conjunctionem definiam, explicare superest. Unde fit ut ab œconomicis Millii opinionibus exordium sumentes, postea demum politicas ejus opiniones perlustraturi simus, quum ex ejus politica, summatim quidem res inspicienti, argumenta duci posse videantur, quæ contra ejus œconomiam pugnent.

Quæ Millius de œconomia senserit (ea tantummodo hic memoranda curamus, quæ ad propositum nostrum spectant), hæc sunt : quæ sint civitatis munera; an laborandi facultas omnibus civibus jure danda sit; an proprium quid tenere possint homines, et præcipue proprias retinere quasdam soli portiones? De quibus singulis, quo clarius unaquæque quæstio exponatur, disseram.

## I

Ricardum, Malthusiumque Millius, ut supra dictum, in œconomia primum secutus est; ideoque ipsum Smithium sequitur. Quippe qui *Principia œconomiæ politicæ*, quæ

tum scripsit, nihil aliud esse fateatur, quam Smithiani libri quamdam continuationem, novis necessitatibus scientiæque novæ accommodatam[1]. Alibi autem demonstratum est, ut speramus, Smithium in arcenda Civitatis intercessione non tam immodicum ac nimium fuisse quam ejus successores, ad istum timorem ratione temporum inductos. Quod quidem comperire est Millium inspicienti, quæ sint tum privatorum, tum civitatis jura et officia definientem. Quanquam enim plus Civitati tribuit quam Smithius, propior tamen est Smithio quam Smithii intemperantibus discipulis.

Nempe initio duo ista Millius separat : quæ munera Civitati (sæpius gubernantibus ait) necessaria incumbant; quæ munera Civitati incumbere possint[2]. Necessaria Civitatis munera facile intelligas; non necessaria vero ita appellantur, haud quia nullius sit momenti utrum gubernantes illis fungantur, necne; sed quia in dubium vocari potest utrum gubernantium sit, necne, ea adimplere[3].

Necessaria multo plura esse declarat Millius quam vulgus existimet. Plerique enim opinantur, præsertim in Anglia, (memineris autem oportet Nostrum, quum res ipsas tangere ac tractare velit, non vanis vesci cogitationibus, sed patriam suam intueri solere[4]), nullum aliud negotium gubernantium esse, quam protegendorum adversus vim dolumque civium; civis autem uniuscujusque esse ea, quibus opus, ipsum sibi parare. Attamen, quam sæpe fit ut Civitas privatorum rebus

1. *Principles of Political Economy*. Préf. de la 1re édit., trad. fr., t. I, p. xxxiv-v.

2. *Ibid.*, trad. fr., t. II, p. 327 et sqq.

3. *Ibid.*, trad. fr., t. II, p. 328.

4. *Ibid.*, trad. fr., préf. de la 1re édit., t. I.

se admisceat, non ideo tantummodo ut eos adversus vim aut dolum protegat!

De successionibus enim curat Civitas, non modo illud effectura ut defuncti voluntas valeat; sed ut alia multa publica ope fiant. Quid cuique proprium sit constituit Civitas, nec modo ut suis quisque rebus fruatur. Consulit quoque Civitas ut rerum contractarum fides servetur; contractus tamen sunt nonnulli, quos irritos pleno jure ac inutiles facit: ex quo perspicuum est aliud Civitatem spectare quam ne privatorum voluntates interpellentur. Item, non tantummodo securitatis custodes, aut judices de capitis litibus publice habentur, sed et judices de civilibus controversiis. Non modo dat operam Civitas ut ad effectum adducantur privatorum inter se stipulationes, sed et per regulas formulasque quasdam prœcavet ne exordiantur altercationes. Nonne, denique, Civitas pueris, insanisque hominibus consulit? Nonne pecuniam facit? Quæ cuncta satis superque confirmant « Civitatis munia multo latius patere quam ut angusta definitione circumscribantur ». Una illa definitio Nostro placeat, quam tamen ipse nimis incertam et laxam judicat : « necesse est intercedere privatis rebus Civitatem, quoties illam intercedere manifesto utile est[1] ». In quo Benthami criterion agnoscas. Hæc autem est sententia, ex qua totum opus Millii pendet, quum utilitatem quoque ille respicere soleat, quæ sunt Civitatis munia non necessaria expositurus.

Nova multa, et Millii vere propria in illa parte operis

1. *Princ. of Pol. Ec.*, trad. fr., t. II, p. 333.

invenias, ubi de non necessariis Civitatis muneribus disserit; quippe qui primo res discernat in quas Civitas, non necessario interveniens, imperative intervenit (exempli causa : *vetitum est illud...* vel : *licet auctoritate publica* : vel : *permittitur ea demum conditione ut...*), ab illis rebus in quibus imperio suo Civitas non utitur (exempli gratia : quum admonet cives Civitas, aut aliquid docet, aut eis exempla proponit[1]). Quoties autem hoc modo privatorum rebus Civitas intervenit, id minime molestum esse, imo, nimis raro evenire Millius arbitratur.

Utputa, religiosam quamdam congregationem sustentare Civitas potest, non ita tamen ut ceteras religiosæ fidei formas tolerare nolit. Scholas nonnullas publicis opibus adjuvare Civitas potest, non ita tamen ut, sine certa gubernantium permissione, scholam condere nemo possit. Publica argentaria, publicæ fabricæ condi possunt, dummodo monopolio quodam non fruantur. Publice transportari privatorum epistolas bene est, non tamen decet pœnas iis injungi, qui alio modo litteras mittant vel accipiant. Civilium operum publici machinatores sint, dummodo liceat omnibus civilium operum machinatoris artem sequi. Publica ægris hospitia præbeantur, non ita ut privati impediantur quominus medicinam exercere queant. Ista denique enumerat Millius, nihil postea de iisdem rebus, ubi Civitas imperio suo non utitur, dicturus. Attamen, ex his facile perspici potest sic agendum gubernantibus esse, ubicumque vi et imperio eos uti non manifeste refert.

1. *Princ. of Pol. Ec.*, trad. fr., t. II, p. 485 et sqq.

Ubi autem Civitas imperiose agere non debeat, sedulo Noster discernit; omniaque, quæ afferri possunt cur non publica auctoritas privatorum rebus interponatur, diligenter colligit ac profert.

« Circulo quodam unusquisque circumdatur, intra quem penetrare gubernantes vetandi sunt, qualiscumque sit reipublicæ forma, sive uni, sive paucis, sive pluribus commissa[1] ». Hæc est sententia qua omnia Millii argumenta nituntur; quam quidem sæpius pronuntiare ac in medium producere solet. « Pars quædam est, ait, in uniuscujusque viri, qui sapere cœpit, vita, ubi ille, sui compos, quasi regnare debet, civium nullo nec ipsa quidem Civitate advertente quid agat ». Locus est in nostra vita « veluti septus muris », in quem publicæ potestati introïre nefas est. Quantum vero pateat locus iste, demetiri haud facile.

Longe autem patere illum statuit Noster; quippe qui conscientiam primum, deinde istas actiones nostras, quæ nos tantummodo tangunt, neque ullo modo aliis hominibus molestæ aut noxiæ sunt, in illo sancto et inviolabili perfugio locari arbitretur. Jus gubernantibus concessum est (atque etiam ad exercendum jus istud gubernantes eo magis obstringuntur, quo meliores sunt, ac politiores) pronuntiandi quid bonum, quid malum sit, quid admiratione vel contemptu dignum, non ita tamen ut ad sententiam suam vi aut legibus cives compellere quærant[2]. Sed in exteriore quoque uniuscujusque hominis vita, quodcumque alterum non spectat, vel tantummodo veluti exemplum plus vel minus accommodatum

1. *Princ. of Pol. Ec.*, trad. fr., t. II, p. 486.
2. *Ibid.*, trad. fr., t. II, p. 487.

spectat, illud omne extra dominium alienum situm sit, et usque remaneat[1].

Ultra vero et extra hunc circulum, Civitati licet se privatis rebus immiscere, cum necessarium est. Necessarium autem esse, Civitati ipsi demonstrandum est, vel iis quibus placet Civitatem privatæ vitæ interponi. Non necessaria enim hominibus injungere grave est, imo ignominiosum, servitutis ipsius instar. Noster igitur sic ratiocinatur : non modo non quosdam civitatis interventus tanquam inutiles rejicit, sed etiam publicæ auctoritatis defensores compellat, eosque jubet confirmare necessitatem uniuscujusque interventus. Quæcumque contra objici possunt, ne Civitas se rebus admisceat, de quibus curare illam non omnino necesse sit, sedulo memorat.

Sic nempe reipublicæ gubernantiumque potestatem augeri, quam tamen minui ac cohiberi non minus popularis Civitatis, quam alius cujuslibet, imo magis etiam intersit : sic etiam reipublicæ ministris, qui plura faciant quam ut bene facere omnia possint, gravius onus ac majus negotium imponi (quanquam magnum huic malo remedium possit adferri, si non in uno loco gentis totius negotia tractentur) ; Civitate privatorum negotiorum curam ad se trahente, minus bene consilia capi, minus bene res geri, quam si consilia capiant resque gerant ii ipsi quorum intersit : sic denique non discere cives quomodo conjunctis opibus ac viribus agant : quod non modo maxime necessarium esse, sed et hominum moribus altius erigendis maxime conferre[2].

1. *Princ. of Pol. Ec.*, trad. fr., t. II, p. 486.
2. *Ibid.*, trad. fr., t. II, p. 487-93.

Ex quo apparet illud plerumque Nostro placuisse : « noli vexare »; et in iis demum occasionibus privatorum libertati officiendum, in quibus « omnino necessarium est ut magnum aliquid ac bonum fiat[1] ». Illud vero est quod respiciens, ad alias se cogitationes convertit, aliaque jubet. Hactenus eum audiimus loquentem haud discrepantia ab illorum philosophorum placitis qui Civitatem privatorum rerum curam suscipere nolunt; repente autem multa et magna excipit.

Primo, in puerorum institutionem non ea cadere sinit quæ prius asseveravit. Melius enim Civitas quam privati quomodo educandi sint pueri æstimare valet; melius educare populum potest, quam populus ipse requirat. Hunc igitur educare, vel minimo accepto pretio, vel nullo, debet. Attamen, insuper aliæ scholæ esse possunt. Nonne enim optandum est « quam plurimas esse vias quibus ad destinatum locum perveniatur[2] »?

Ut educationi puerorum, ita insanientibus protegendis, tuendis pueris seu contra patriæ potestatis immodestiam, sive a temerariorum pactorum periculo, consulere magistratus æquum est. Necnon et curare debent de contractis[3] in perpetuum stipulationibus, neque eas sancire obligationes quarum qui eas suscepit non intelligens sit æstimator; et pacto exsolvere eum qui probare possit se non satis cautum fuisse ac providentem. Hæc de connubio. Censet quoque Noster de privatis societatibus, quibus multa munera committere magistratus possint, inquirendum certe assidue

1. *Princ. of Pol. Ec.*, trad. fr., t. II, p. 495.
2. *Ibid.*, trad. fr., t. II, p. 498-501.
3. *Ibid.*, trad. fr., t. II, p. 503-522.

quomodo muneribus istis fungantur. Quot item horis opificibus quotidie laborandum, reipublicæ gubernatores statuere decet. Colonos mittere, indigentes sustinere ad illos quoque spectat, quod deinceps retractaturus sum. Denique Civitatis est mittere qui terras ignotas perlustrent, cavere ut tuto maritimi cursus efficiantur, incitare doctos ut disquisitiones aggrediantur, quæ ad posteros non secus atque ad ævum ipsorum pertineant.

Multa satis, sicut videre est, extra legem ponuntur qua Civitas jubetur nunquam civium libertatem interpellare. Si vero intuenda esset illa quæ de individualismo jactari solet definitio, Millium individualismo adversari potius quam assentiri existimandum sit, quippe qui nunquam Civitatem humanæ societatis « ulcus » nominet, neque illum terrorem præ se ferat, quem multi inter œconomicæ scientiæ doctores ostentare necessarium ac salutare putent. Sed alibi demonstravi [1] usitatam illam Individualismi definitionem in dubium vocari merito posse; individualismum istum, qui jactatur, non fuisse a nostri decimi octavi sæculi philosophis traditum, neque ullo modo esse continuatam quamdam doctrinæ illorum explicationem; verum enimvero, recentes istos Individualismi sectatores a priorum exemplis tota via deerrasse, ad id præsentibus quibusdam, sed temporalibus necessitatibus adductos. Non igitur ad normam adulterati istius Individualismi conferenda Millii sententia. Quam contra melius intelliges, si reputaveris quam acriter Noster locum illum « muris septum » inviolatum velit remanere, inva-

1. Cf. *L'Idée de l'État.*

dique quamlibet ob causam a Civitate vetet, ac ne publicæ quidem utilitatis nomine.

Sed ea præcipue quæ Millius dixit de propriis cujusque hominis bonis, deque laborandi facultate homini cuique præstanda, occasioni fuerunt cur socialismo assentiri diceretur; quæ duo nobis nunc tractanda sunt.

## II

Quod ut attingeret Noster perductus est primum quod Britannus de Britannicis rebus meditabatur. *Taxatio* enim *pro Pauperibus* in *Principiis œconomiæ politicæ* examinanda ei fuit. Deinde, de ea rerum perturbatione disserens quæ in Gallia anno millesimo octingentesimo quadragesimo octavo accidit, obvios habuit eos qui prædicabant laborandi facultatem cuique homini a Civitate suppeditandam esse, quorum in sententiam Gallicæ reipublicæ gubernatores concesserant.

« Hominem, ait Noster, ab hominibus adjuvari, cum inops est, et ad extrema necessitatis adductus, jus est inter validissima jura[1] ». Ergo hoc jus legibus sanciendum. Sunt quidem sua huic juri incommoda, inter quæ præcipuum illud, quod spes aperitur desidiosis fore ut, nihil agentes, sustineantur. His vero incommodis, quantacumque sunt, primo remedia possunt afferri ; deinde, nihilominus præceptum opem egenis ferendi valet. Privati enim, quamvis in pauperibus adjuvandis sint benefici ac largi, omnes pauperes alere mani-

1. *Princ. of Pol. Ec.*, trad. fr., t. II, p. 515.

festo nequeunt. Sive igitur res, seu rationem respicias, in Civitatem officium illud relabi fateberis [1].

Ea tamen conditione, ut Civitas providere audeat ut Malthusii sententia de humana prole augenda ad effectum veniat. De quo semper sibi Noster constitit. In *Principiis œconomiæ politicæ* jus, imo officium magistratuum hac de re confirmatur. Ibi enim laudat Millius gentes in quibus prohibeatur conjugium, quando sponsi non possint monstrare sibi justas esse opes ad vitam suam vel futurorum liberorum sufficienter sustinendam[2]. Neque aliter in libro dicto *On Liberty* loquitur [3]. Ita Millius, quantum ad Britanniam spectat, prolis circumscribendæ munus veluti connexum judicat cum egentes sustinendi munere; dummodo illud fiat, hoc jubet.

Quando autem Noster non *Taxationem pro Pauperibus* sed *Laborandi facultatem*, a Gallis pronuntiatam, inspicit, primum ostendit Anglorum Gallorumque sententiam unum et idem verbis dissimilibus valere [4]. Gallos tamen melius de hoc loqui censet; cum ab illis non significetur singulis jus esse laborem vel subsidia a Civitate postulandi. Illud unum pollicetur Civitas, se curaturam esse ut omnibus, non huic aut alteri, labor suppetat [5]. Britanni, contra, otiosum virum, eumdemque pigrum, quasi hortantur ut victum suum a Civitate petitum eat. Nihil igitur gallicæ de *Labo-*

1. *Princ. of Pol. Ec.*, trad. fr., t. II, p. 515.
2. *Ibid.*, trad. fr., t. I, p. 179.
3. *On Liberty*, trad. fr., p. 290.
4. « Le droit au travail, c'est la *Poor Law*, et rien de plus ». — *Vindication of French Revolution of* 1848, trad. Sadi Carnot, p. 84.
5. *Ibid.*, p. 85.

*randi Jure* doctrinæ objici posse Noster existimat, nisi ea quæ ex Malthusii principio manent.

Quæ si quando obliviscaris, hæc opinio, laborandi facultatem unicuique præstandam esse, verissima fit, et morum humanorum legi maxime consentanea, sicut et maxime necessaria omnium rerum quæ ad firmitatem reipublicæ pertinent [1]. Si ethicam respicias, omni homini oportet præsto esse quæ ad vitam sustentandam necessaria sint, priusquam hominibus paucis oporteat supervacua abundare; oportet eum comedere et vestiri quicumque laborat, priusquam comedat qui nihil agit. Quod si humanæ societatis publicarumque rerum conditionibus attendas, « nemo expers esse debeat illius convivii, cujus publice impensa facta est ». Verum tamen « nemo externos ad prandium invitandi jus habet, nisi omnes assentiantur [2] ». Ceterum, irrita sunt placita de laborandi facultate omnibus præstanda, nisi simul præscribantur augendæ proli fines. Etenim, si tot adsciscuntur quot intereunt, nullo modo egeni in meliorem statum evehi possunt [3]. Quo fit ut Gallicæ reipublicæ, anno millesimo octingentesimo quadragesimo octavo, gubernatores recte laborandi jus naturale esse agnoverint.

Non errant tamen illi qui Gallicis magistratibus illam vitio vertant declarationem, cum in ea non reperiatur quæ debuit esse restrictio. Millius autem sperat fore ut postea hæc cum ista doctrina conciliari possit, scilicet, mutuam civium interesse stipulationem, qua pactum sit unicuique præstari per Civitatem vitæ labore sustinendæ facultatem,

1. *Vindication of French Revolution of* 1848, trad. fr., p. 86.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 86.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 87.

dummodo nemini liceat prolem suam suo arbitrio ac sine terminis adaugere. Quanquam fatetur Noster non prius res ita successuras quam « ex humano genere evellantur affectus quidam altissimis radicibus defixi opinionesque vetustissimæ[1] ».

Sive igitur *Jus laborandi*, sive *Taxationem pro Pauperibus* inspicit; sive quæstionem ad Britanniam solam pertinentem, sive quæstionem ad universum genus humanum spectantem perpendit, Millius non fatetur omnium hominum jus opem a civibus suis postulandi tale esse, cui nulla mora adferri, nulli fines adscribi possint. Merito contra notatum[2] est ad id eum præcipue incumbere ut, quo vinculo inter se cohæreant *Populationis principium* et *Jus Laborandi* vel *Taxatio pro Pauperibus* monstret. Sublato *Populationis principio*, *Jus laborandi* et britannica *Taxatio pro Pauperibus* non solum, quod ad res attinet, esse non possunt, sed etiam, vel doctrinas solas respicienti, veræ haberi non jam possunt. Restituto vero eodem principio, illæ quoque doctrinæ et veræ denuo fiunt, et ad eventum pervenire aptissimæ.

Nunc ergo, sicuti nuper, quum de Civitatis muneribus ageret, Millius ad socialismum accedit, nec non et a socialismo recedit. Accedit enim, quia neque *Jus laborandi* neque *Taxationem pro Pauperibus* damnat. Recedit vero, quoniam nonnisi multis restrictionibus adhibitis, illis criminationibus assentitur, quibus socialistæ in præsentem rerum statum invehi solent.

1. *Vindication of French Revolution of* 1848, trad. fr., p. 88.
2. Cf. *La Critique philosophique*, 2e année, I, p. 305 et sqq. (article de M. Pillon).

## III

Sub ipsum vitæ suæ finem, operam dedit Millius ut civium suorum nonnullos congregaret, qui secum indagarent quo possent modo de terræ possidendæ jure leges emendari. Ultima item scripta composuit ut plures ad se amicosque suos vocaret.

Hæc autem societas latifundiis omnino adversatur, qualia præcipue apud Anglos sunt, primogenitorum hereditario jure, aliisque rebus quibusdam quæ in Britannia tantummodo reperire est, pejora reddita. Non ita tamen adversatur ut exiguis minutisque fundis, quales apud Gallos sunt, faveat. Ratus enim Millius optimam esse vastorum agrorum a societatibus civium sibi invicem opitulantium culturam, a Civitate vult societatibus istis magna concedi prædia, ab hodiernis possessoribus redempta, si quidem ii maluerunt sua æquo pretio Civitati venumdare, potius quam vectigal aliud pendant, propter illud ipsum ab iis exactum, ut « immeritum augmentum » (*unearned increase*) divitiarum a solo perceptarum in Civitatis lucrum posthac convertatur.

Alia quædam, præter hoc, sibi proposuit prædicta societas; hoc vero ante omnia. Ceterum, hanc idæam plane illustravit, et large explicavit Millius in libello quodam, quum societas instituta fuit, edito. Quo quidem in scripto animadvertes quantam modestiam — nec mirum illud est, quo est vir ingenio — Millius retineri velit in rebus secundum idæas suas informandis, quam multa provideat ac

præcaveat ne possessores, si quando ad effectum doctrinæ suæ venerint, lædantur. Sed in his non nobis immorandum est; quum multo minus nobis mens sit Millium per minuta doctrinarum illius persequi, quam causas illarum, propositumque quo spectent enucleare, necnon et intelligere quantum cum individualismi principio quadrent, quantum ab eo distent.

Duo ista animadvertere nobis licet, inspicientibus Millii cogitata de mutanda soli possessionis ratione. Illud autem prius, Millium semper fidelem discipulum fuisse eorum a quibus politicam œconomiam fuerat edoctus. Malthusii *Populationis principium* firmiter retinet; Ricardi placita de *nimio pecuniæ reditu* tuetur. Alterum notandum dico, quod quidem majoris est momenti, quoniam latius spectat : scilicet, e Millii sententia, soli possessionem ceteris possessionibus similem videri nullo modo posse, utpote quæ sit « prima quædam totius humani generis hereditas ». Terram inter privatos possessores dividi per Civitatem liceat, vult sane Millius : ita saltem ut Civitas sibi vindicet ista agrariorum redituum augmenta, quorum causæ possessoribus ipsis adscribendæ non sint.

Eæ autem opiniones quas Millius millesimo octingentesimo septuagesimo uno anno enuntiavit, quasque gnaviter usque ad mortem conatus est ad effectum perducere, jamdudum mentem ejus occupaverant. Non minus clare, nec minus vehementer expositæ in *Principiis Œconomiæ politicæ* leguntur; ubi non modo jam vituperat quæ, in britannicis legibus, ad terræ possessionis regimen pertinent, sed et explicat, iisdem dico verbis quibus postea usus est, quo-

modo differre existimet terræ possessionem a ceteris quibuslibet possidendi modis. Illa etiam sententia nuper a nobis relata, « terram primam esse totius humani generis hereditatem », in *Principiis*, ne una quidem littera deficiente, inest[1].

Imo, de omni possessione quanquam Millius non tam abundanter disseruit, tamen attulit ille sententiam quæ, etsi rationi consentanea videatur, nihilominus longe distat ab assuetis œconomiæ politicæ doctorum opinionibus. Nam Millius expresse distinguit divitiarum productionem a divitiarum distributione. « Gignuntur, inquit, divitiæ secundum leges quasdam, quæ naturalium legum generis participes sunt, quippe in quibus nihil sit, quod non esse possit, nihil quod ex hominum arbitrio pendeat[2] ». Itaque, hominum opiniones aut vota nihil valent ut immutetur quidquam in divitiarum generatione. Earumdem vero in distributione, aliter res se habet. Cujus enim humana tota origo est. Productas semel, secundum regulas quæ intra potestatem nostram sunt, divitias homines sive singuli, seu congregati secundum arbitrium suum dispertiri possunt[3]. Divitiarum igitur distributio e diversarum gentium legibus aut consuetudinibus effecta, pendet e variis votis et cogitationibus, aliaque aliis in temporibus, alio morum cultu, jam fuit antea, atque in posterum commutabilis est. Sed eligere hominibus licet secundum quas leges distribuantur divitiæ; quæ vero ex hac

1. *Princ., of Pol. Ec.*, trad. fr., I, p. 262.
2. *Ibid.*, trad. fr., I, p. 225.
3. *Ibid.*, trad. fr., I, p. 226.

aut ista possessionis forma eventura sint, eligere non licet. Qui quidem eventus, nonnisi observatione cognoscendi sunt[1]. Sed et ipsos Millius judicat « physicarum legum » instar fieri, sicut et leges secundum quas divitiæ gignuntur.

Postquam igitur Millius, confessus hominum societatibus jus esse statuendi quis sit distribuendarum divitiarum modus, quam maxime æquo bonoque, quale sibi fingunt, consentaneus, socialismi fautoribus suffragari visus est, redit tamen, ubi examinat eos quos habet eventus divitiarum distributio, ad patrocinium defensionemque possessionis, quæ uniuscujusque hominis propria sit. Hoc enim possidendi genus, in longum abhinc tempus, humanarum societatum tum conditioni, tum incrementis conveniet; non decet igitur temporibus nostris illud velle evertere, sed in melius mutare, ita ut bonorum inde manantium « universa membra humanæ communitatis » partem obtineant[2].

Comperimus igitur Millium non eodem modo patrocinari privatæ uniuscujusque hominis possessioni, quo solent œconomicæ scientiæ magistri, a quibus inducitur tanquam ultimus diuturni processus terminus, tanquam certa quædam et in posterum immutabilis distribuendarum divitiarum forma. Imo, longe abest ut neget præsentem statum in posterum immutari posse. Etenim in postremo quod composuit scripto, scilicet *Ineditis de socialismo capitibus*[3], cum Marxio consentit, ostendens possessionem κατηγορίαν

1. *Princ. of Pol. Ec.*, trad. fr., I, p. 227.
2. *Ibid.*, trad. fr., I, p. 244.
3. *Revue Philosophique*, t. VII (1879), p. 537 et sqq.

mere *historicam* esse, non *logicam*; enumeratque quot et quales jus possidendi per sæcula mutationes acceperit, quæ tamen spatium posterioribus aliis mutationibus relinquunt.

Nihilominus tamen propriam singulorum hominum possessionem diu adhuc duraturam esse existimat; eamque defendit argumentis quibusdam, quæ mox nobis melius intelligentur, Millium de socialismo disceptantem secutis; nihilominus providet istum fore humani generis progredientis finem propiorem, scilicet ut vulgarius ac frequentius fiat privatorum dominium. Nonne autem cum Millii sententia mirum in modum congruit Renoverii sententia, qui privatorum dominii non sicut dogmatis cujusdam causam agit, sed tantummodo contendit « nullam in historia reperiri posse *methodum*, quæ magis humanæ societatis incrementis idonea et accommodata sit[1] »?

## IV

Bis Millius, longoque intervallo interjecto, quid sentiret de præcipuis socialistarum doctrinis exprompsit : primo quidem in tertia *Principiorum Œconomiæ politicæ* editione, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo secundo; deinde, in illis *Ineditis de Socialismo capitibus*, quæ jam tetigi, et in quibus jacet operis per annum millesimum octingentesimum sexagesimum nonum præparati materia. Jam nunc dicendum est, nullam magni momenti deprehendi

1. Cf. *L'Idée de l'État*, l. V, chap. III.

posse inter *Principia* et *Capita inedita* discrepantiam ; nisi forte observes in illorum scriptorum recentiore Millium largius effusiusque, ut ita dicam, amplecti propositam futurarum in re œconomica mutationum, et illarum quidem gravium, conjecturam ; additis tamen exceptionibus iisdem, quas ante enuntiavit, et præcise nunc iterat.

Duas socialismi formas explorat Millius[1] : 1° Communismum, cujus unum e nostratibus[2] optimum interpretem judicat ; 2° Socialismum, quem hoc nomine proprie appellari posse censet, eam nempe doctrinam qua non necessario jubeatur possessiones privatorum in commune conferri. Socialismi autem duo genera sunt, alterum Sancti-Simonis, alterum Fourierii.

Hæc autem distinctio, rebus ipsis, quales historia nobis offert, male congruit. Etenim, et apud communistas invenire est nonnulla quæ collectivismum redoleant ; collectivismi autem fautores dictitant non omnem privatorum possessionis formam a se aboleri, quum possessionem istam, quæ « absumendi facultas » dicitur, permanere cuique patiantur. Verum, quo tempore *Principia Œconomiæ politicæ* scripta sunt, licebat socialismum in has partes distribuere ; meliorem vero divisionem excogitavisset, si ulterius persequi potuisset Noster inchoatum sub finem vitæ librum.

Communismo quidem Millius æquum non censet objicere illa quæ vulgo contra dicuntur ; scilicet, doctrinam esse quæ necessarios in œconomica societatum vita fructus reddere

1. *Princ. of Pol. Ec.*, trad. fr., I, p. 230.
2. Louis Blanc.

non possit; difficile esse omnes homines ad laborandum adigi; laborantibus non inesse stimulum sui ipsorum commodi; pigritiam majorem inter homines futuram, propter certam spem res sibi necessarias nunquam defuturas; difficile esse opus inter homines æque dividi, et ad unam et eamdem mensuram maxime varios labores, hominum congregationibus necessarios, referri.

Quod si quis enim œconomicæ scientiæ legibus contrarium communismum dixerit, num, inquit Millius, absurdum est gregem quemdam hominum, in pago habitantem, publice et communi opera solum colentem, quod nunc a singulis separatim colitur, omnia instrumenta quibus egeat, optimis et nuperrime inventis rationibus, fabricantem, tot et tantos fructus posse reddere, quot et quantos ad illorum sustentationem suppetere oportet? illamque verisimile est faciliorem et abundantiorem fore quam quæ nunc conquiritur[1].

At unusquisque laboris virilem partem effugere conetur. — Sed argumentaris quasi nunc, in præsenti societatum ordine, quicumque labore quodam fungitur, ipse sui laboris fructus percipiat; quum contra, « e decem societatis negotiis novem jam nunc a stipendiatis efficiantur », a « messore aut Hibernico opifice, usque ad Cancellarium ac Civitatis ministrum ». Stipendiati enim laborant, quos alii, stipendiati et ipsi, dirigunt inspiciuntque; quorum per operam civilis machina movetur, licet non adhibeatur *maximum* quod esse possit operantium studium, sed sufficiente *minimo* quodam eorum

1. *Princ. of Pol. Ec.*, trad. fr., I, p. 230.

studio, quod nulla causa est cur conjicias fore ut in communis Civitatis forma adeo minuatur[1].

Etenim possunt homines, multo magis quam vulgo creditur, alii aliis inservire, sicut ex historiis frequenter comperire est. Exemplum sint catholici monachi, cum tanto studio, tantaque sui oblivione, ordini suo addicti[2]. At pigritia vulgo augeatur. Sane quidem, si nulla coercitio pigris immineat. Verum credibile est fore ut communismus vim merentibus inhibere optime sciat, ad impediendum ne quis communem causam prodat, vel sine fine numerus participantium augeatur[3]. — At quo ex criterio varios uniuscujusque labores æstimabis? Gravius sane prædictis impedimentum, non id tamen cui mens humana sit impar, solutis antea majoribus etiam difficultatibus; nec oblivisci decet, in hac præsertim re, minime perfectam esse præsentem ordinandæ societatis rationem.

His vero societatis, qualis nunc est, vitiis adeo commovetur Millius, ut illud dicere non dubitet : « Si nobis eligendum sit uter plus placeat, communismus, vel tantis periculis tantaque alea plenus, an præsens rerum status, ubi injusta persæpe fiunt, multique immerito vexantur ac dolent; quotcumque habet communismus difficultates, pulveris exigui pondus in trutina vix æquent[4] ». Itaque, communismum non cum ea possessione, quæ quidem nunc revera est, comparat, sed cum possessione qualis debeat esse,

1. *Princ. of Pol. Ec.*, trad. fr., I, p. 231-32.
2. *Ibid.*, trad. fr., I, p. 233.
3. *Ibid.*, trad. fr., I, p. 234.
4. *Ibid.*, trad. fr., I, p. 235.

cum magnis et castigationibus et emendationibus, quarum præcipuas Noster, ut vidimus, has esse putat : immutari et multo magis propagari puerorum institutionem; justos fines numero illorum imponi qui societatis cujuslibet in consortium advocentur. Quod quidem utrumque si fuerit effectum, irrita fient socialistarum vota[1].

Utrum autem communismus possessionis singulorum formam superaturus sit, an posterior priorem, hoc futurarum rerum fortuna sine dubio decernet. Quam opinionem Millius affert tanquam conjecturam, neque tamen eam mediocriter amplexatur. Eam enim causa admodum gravi firmat : inter duo systemata, id eliget, quod « cum maxima libertate humana congruat[2] ». Ubi enim victus certus est, ibi nihil magis naturæ necessarium quam libertas, et eo magis fit necessarium, quo majores fiunt facultates : inter quas numeranda est varietas studiorum, et peculiares ingenii dotes, et quidquid indolem suam cuique constituit[3]. Hic est fons, neque alibi, omnis progressus seu intellectualis, seu moralis; neque proficere potest doctrina quælibet quæ hunc fontem siccet; contra futuram ætatem aliquando illa obtinebit quæ hunc abundantiorem faciat[4].

Ergo, de fine ordinis socialis nullo pacto hæsitari potest : qui is est « qui cuique libertatem agendi cogitandique perfectam firmet, quatenus ceteri homines nullum inde detrimentum capiant[5] ». De artibus autem, quibus ad talem finem

1. *Princ. of Pol. Ec.*, trad. fr., I, p. 236-37.
2. *Ibid* , trad. fr., I, p. 237.
3. *Ibid.*, trad. fr., I, p. 238-39.
4. Cf. *Capita inedita* in *Revue Phil.*, t. VII, p. 372.
5. *Princ. of Pol. Ec.*, trad. fr., I, p. 237.

veniatur, potest hæsitari. Sed quum communismo doctrina proprietatis privatæ opponitur, nunquam obliviscendum est tum opponi doctrinam hanc, qualis esse debeat, non qualis sit.

Sancti-Simonis ac Fourierii doctrinæ sunt « doctiores » socialismi formulæ, quas quidem Noster « fructus eximios sæculi et anteacti et nostri » numerat[1]. Tendunt enim uterque mercedem facere magis labori consentaneam : quod quidem maximum est. Quod tamen, maximum verbis, re Sancti-Simonis doctrinam debiliorem facit : ubi enim quæramus, ubi inveniamus unum hominem vel plures « qui sciant cuique laborem facultati ipsius congruum tribuere, et remunerationem cujusque merito congruam[2] » ? Atque id ita, ut nemo queratur, ut nullum fiat perfugium ad vim ? « Vix id possint homines superiores ceteris hominibus habiti, et nescio quibus terroribus religiosis ac prodigiosis innixi ».

Fourierii autem doctrinam Noster judicat, inter omnes socialistarum doctrinas, quam optime compactam et cohærentem, et objectionibus minime obnoxiam. Neque enim tendit ad æqualitatem, neque ad tollendam proprietatem privatam uniuscujusque, vel hæreditatem ; neque ad minuendum ullum diligentiæ motum, quo hodie homines nova edunt. Tamen ibi, velut quod attinet ad Sancti-Simonis doctrinam, errore intimo haud scio an fundamenta ipsa pessumdentur : nempe ibi omnia nituntur in *labore attrahente*. Non re autem is est *attrahens labor* quem, prout libet, capimus,

1. *Princ. of Pol. Ec.*, trad. fr., I. p. 240.
2. *Ibid.*, trad. fr., I, p. 241.

rumpimus, relinquimus? Dempta hac libertate non jam attrahens est labor, nam numquam non ibi apparet servitium[1].

Ceterum id patitur Millius, ut usu pretium verum harum doctrinarum tentetur : omnia, ut censet, libere experiendi jus habes, « dum nemo alius in discrimen ullum vel pecuniæ, vel sui veniat, quam is qui experitur[2] ». In « Capitulis ineditis », id Noster repetet, maxime præ se ferens Fourierii doctrinam, quippe quæ digna sit « quæ sincere tentetur[3] ». Neque id mirari debemus apud Owenii civem, qui tentari viderit doctrinarum haud minus audacium experimenta, pro hac certe societate, in qua tentabantur.

Sic concludi potest quidquid de socialismo Noster discussit, nempe multa, quæ socialismus vitio vertit statui œconomico præsenti, vera esse; multa rursus, quæ vitio socialismo vertuntur, haud vera, aut certe enormiter amplificata. Sed præterquam quod socialistæ de iis disputant quæ non nisi post maximum temporis intervallum eventura sint, præterquam quod œconomicus præsens status non omnino mutari potest, antequam multæ fluxerint ætates, etiam libertatem illi in periculum adducunt gravissimum, atque etiam cujusque propriam posessionem, adeo humanæ naturæ necessariam. Contra, Civitas individualismo innixa, sed ea quæ liberata sit ab omnibus vitiis societatem nostram corrumpentibus ac dedecorantibus, in quo quisque fructibus sui laboris vere fruatur, libertatisque sit compos, illam omnino perfectam dixeris.

1. *Princ. of Pol. Ec.*, trad. fr., I, p. 243.
2. *Ibid.*, trad. fr., I, p. 244.
3. In *Rev. Phil.*, t. VII, p. 375.

Quæ sane exsequenda; neque tamen mediocriter favendum experimentis socialistarum minutis, quæ fieri libere queant, et quodam modo illustrent partes ad hunc diem subobscuras socialismi : id est facilitates et quasi aditus, sive materiales, sive spirituales moralesque, ad ipsam applicationem.

Hæ autem sunt viæ quibus gradatim præsens proprietatis regimen possit non immutari, sed proficere, et perfici : 1° mutationes in statu proprietatis, præcipue agrariæ, apud Britannos; 2° sapientia quædam decreta, quibus *Principium populationis* firmetur ac stabiliatur; 3° systema educationis aptæ utilitatibus quum spiritualibus, tum moralibus ætatis nostræ, quæ large diffundatur in populum.

## V

Nunc facilis responsio præbetur enuntiatæ ineunte hoc capite quæstioni : utrum Millius socialismi fautor sit, annon? Ita, nisi fallor, respondendum est :

Si respexeris ejus de Civitatis muneribus, de laborandi jure, de possessionis jure, de soli possessione placita; si collegeris ejus de socialistarum doctrinis judicia, quibus magna cum severitate vitia cum œconomico præsenti regimine connexa damnat, multaque inique in eo facta, multos propter id ipsum dolores (verbo isto utitur), ab hominibus multis toleratos animadvertit; si æstimaveris quanta, ut ita dicam, intellectus amplitudine, ambagibus missis, fateatur œconomicas κατηγορίας historicas esse, non logicas; omnia hæc perpendenti apparebit Millium sæpius quam proxime

accedere socialismo, ei præsertim socialismo quem Gallici priores ejus doctrinæ defensores, sub mediam hujus sæculi partem, effingebant : socialismum nempe humanitate, caritate plenum, vi uti nolentem, impossibilia somniare aliquando gaudentem, homines nihil non posse confidentem, ea voluntate, ea mente præditos, quarum vim magis ac magis capacem potentemque futuram sperandum sit.

Socialismum autem istum Millius persæpe attingit, non adeo tamen ut intus penetravisse dicatur; quippe qui rebus et doctrinis æstimandis ante omnia idoneus, atque in hoc liberrimus et audacissimus inter eos qui maxime fuerunt, non magis in socialistarum quam in socialismi adversariorum verba juret. Quum mala et vitia præsentis œconomici status penitus introspiciat, quum æquitatem unice diligat, non potest œconomistarum crimina adversus socialistas probare et sibi ipse assumere. Quum contra non minus, atque haud scio an magis, ratus sit uniuscujusque hominis animo ac voluntati plenam libertatem et ingenuum incrementum tribuenda esse, non potest sine exceptione stare cum socialistis, adversus singulorum possessionis regimen militantibus. Non aït socialismum cum ea libertate, cum eo singulorum incremento, conjungi nequire; sed hoc tamen timet timoremque istum apertis verbis significat.

Inde fit ut ita œconomicam Millii sententiam definire mihi libeat : mutationes in futurum semper afferri posse humanis rebus; præsens nobis indici officium, pugnare adversus præsentia œconomici status mala, conari ut melior fiat pri-

vatæ possessionis modus; illudque per legum auctoritatem, sed maxime per institutionem puerorum obtinendum; libertatem quasi summum criterium semper et ubique perstare, cui omnia referenda sint, cui subjuncta jaceant omnia.

# CAPUT TERTIUM

**Quid Millius de rebus politicis senserit.**

*In duobus ejus libris explicantur de re politica placita, altero cui « Considerations on Representative government », altero cui « On Liberty » inscribitur. — Utriusque libri propositum ac genus.*

I. *De Civitatis forma in « Repræsentativo Regimine ».*

*a.* Generalia ac peculiaria placita. — *b.* Quatenus politicæ institutiones eligi possint. — *c.* De institutionum criterio. — *d.* « Bonus tyrannus ». Quæ sint illius regiminis pericula. — *e.* Quomodo vere concipi debeat « Democratia repræsentativa ».

II. *Individualismus qualis in libro « On Liberty » definiatur.*

*a.* Quid vicissim significaverit « politica libertas », et quomodo intellecta fuerit. — *b.* De vero principio quo absolvuntur ea quæ de libertate excipiuntur. — *c.* Defenditur ingenua cujusque in agendo ratio. — *d.* Quomodo ad effectus venire debeat principium. — Quædam discutiuntur. — *e.* Millii individualismus opinionem omnium non minus quam potestatem gubernantium refrænat.

III. *Quæ sint Millii individualismo peculiaria.*

*a.* Millii politicam philosophiam philosophia morali inniti. — *b.* Quomodo inter se cohæreant Millii moralia, politica, œconomica placita.

Quæ in re politica vellet, quæque ex his cogitationibus emanarent, quas prius explicavimus, exposuit Millius in

libris duobus, qui minimo editi intervallo, eodem spiritu afflante conscripti sunt, perque ea ipsa, quæ in utroque dissident, pleniores absolutioresque fiunt. Quorum alter inscriptus *On Liberty* mere philosophicus est; alter *Considerations on Representative Government* imprimis politicus : quem posteriorem prius enucleabimus, quum priore facile adduci debeamus ad id quo finietur et efflorescet hoc opusculum nostrum : scilicet, quæ revera sit Nostri de rebus politicis ac socialibus sententia.

## I

Hic liber « de Gubernatione repræsentativa » quum non sit opus absolutum de omnibus politicis rebus, neque effigies quædam hujus constitutionis quam Millius optimam judicet, at certe offert seriem quamdam dogmatum optime cohærentem de omnibus fere partibus democratiæ bene stantis, seu quod ad ipsum statum attinet, seu quod ad administrationem. Permulta equidem nos non attingemus : utrum priore an posteriore gradu electio fieri debeat, et quo pacto oporteat suffragium dari, quæque spectent ad mandatum imperativum, vel ad Curiam alteram, vel ad tempus concessum Parliamento, vel ad ordinem administrationis localis, ea cuncta et alia quædam, quanquam maximi sunt momenti et ingenio admodum originali a Nostro expedita, tamen hic discutere minime expediat. Rursus, quæ sentiat de ipsa natura rerum politicarum, et de criterio ad quod referri debeant variæ formæ reipublicæ, et de vera falsaque democratia, vel de partibus quas conciones tenere debeant in civitate hujus-

modi, omnia hæc nostra sunt, et summa diligentia explanaturi ea sumus.

Vidimus Nostrum a Benthamismo mero desciscentem, et venientem ad doctrinam quamdam in qua Coleridgius et Benthamus misceantur socienturque. Quod autem imperfectum mansit in iis explicationibus, quas ipse nobis dedit, maxime lucidum planumque a primis libri hujus quem nunc evolvimus lineis evadit.

Hic enim perpendit « quatenus variæ reipublicæ formæ eligi possint[1] ». Duo autem in tali re supponi queunt, quæ quidem, dissentientia inter se, alterum altero excluduntur[2] : potest enim admitti nihil res politicas esse, nisi quas ingenium humanum inveniat ac componat, dum homines primum libere eligunt quamdam conceptionem finium assequendorum in vita sociali, postea modum assumunt quem maxime proprium rati fuerint huic fini assequendo : qui modus constat in certis institutionibus, in forma quadam reipublicæ. Rursus potest admitti institutiones politicas esse « naturalem quemdam fructum populi indolis vitæque », id est « fructum consuetudinum ejus, et instinctus, et cupiditatum appetituumque cæcorum[3] ». Hic autem pars voluntatis humanæ quasi nulla est : quæ in eo consistit « ut temporalibus utilitatibus rebus et ipsis temporalibus respondeatur » : quæ res quidem, si consentiunt cum universa rerum summa, permanent; cadunt vero, quum dissentiunt.

1. *Considerations on Representative Government*. Titulus ipse capitis primi.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 4.
3. *Ibid*, trad. fr., p. 5.

Quæ duo placita, sic a Nostro delineata, omnino tum iis quæ Benthamus professus sit, tum iis quæ professus sit Coleridgius, congruunt; et ut ad annales philosophiæ politicæ socialisque apud Gallos referamur, his dixerim convenire quæ Russæus mere rationalia præ se tulerit, illis quæ placuerint scholæ huic historicæ. Millius autem tantum abest ut seu hoc, seu illud omnino foveat, ut contra declaret « difficile esse dijudicare utrum absurdius sit, altero plane remoto[1] ». Judicat enim minime id verum esse, populum scilicet quemlibet cuilibet generi institutionum aptum, ob id ipsum quod unam potiorem sibi ceteris judicaverit. Rursus id vel magis falsum est, si quis putet homines invenire institutiones « quasi adultas, cum primo æstivi cujusdam solis lumine experrectos[2] ». Imo, in tali re est quiddam voluntarium, et quiddam minime voluntarium; pars electionis altera, et altera necessitatis, altera pars quæ sit historiæ, altera inventionis. Id unum necesse, « ut electio rationalis fiat inter eas reipublicæ formas, quæ non abhorreant a statu societatis præsenti[3] ». Sic duæ doctrinæ consentiunt, et simul illustratur hæc formula qua primo capitulo nostro usi sumus, quamque novissime iterum adhibuimus : scilicet Nostrum Benthami doctrinam emendavisse per Coleridgii.

Cui quæstioni connexa est hæc altera quæstio : de criterio inter varias reipublicæ formas. Duobus vocabulis vulgo definiuntur effectus quos in omni republica utiles ac fructuosos

1. *Consid. on Repr. Gov.*, trad. fr., p. 6.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 7.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 23.

judices : scilicet *Ordine* et *Progressu*. Hæc autem vocabula, quum parum certa sint, et cum variis interpretationibus consentiant, tamen res definiunt minus inter se dissentientes quam plerique credunt. Virtutes enim reipublicæ bonæ vulgo favere putantur et Ordini et Progressui : ceterum, bona custodum publicorum administratio quum magis tutam faciat proprietatem, majorem etiam facit productionem; item bonus pecuniarum a privatis reipublicæ solvendarum ordo, item bona partitio munerum[1]. Præterea, nonne verum est Ordinem Progressu contineri, atque ideo hoc sufficere debere, si dicas « optimam rempublicam esse eam quæ faveat Progressui »? At hæc ipsa definitio nondum est perfecta. Neque enim id tantum Societatis cujuslibet interest ut progrediatur, verum etiam ut nullo modo retrocedat; vocabulo autem « Progressu » ea non continentur, quæ impediant ne quid Societas detrimenti capiat. Igitur nullo pacto jam quærentes criterium quoddam abstractum, ipsos homines intueamur, et qui gubernant et qui gubernantur. Nonne id permaximi momenti est, nempe eorum virtutes? Etenim quod ad bonam criminalium judiciorum descriptionem attinet, num id sufficit si regulæ multæ et bene ordinatæ sint et bene observatæ, quum mentiuntur testes, ac judices se corrumpi patiuntur[2]? Sumamus nunc formulam reipublicæ repræsentativam : num sufficit si optime res omnes in ea republica ratione et verbis componantur, quum cives legatum eligunt non eum qui sit dignissimus, sed qui maximi sua suffragia emat[3]? Et cetera simili modo.

1. *Consid. on Repr. Gov.*, trad. fr., p. 32-35.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 39.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 40.

Itaque primum id in bona republica requiritur, ut « virtus et sana mens hominum societatem facientium » ibi sit. Ergo prima ea in bona republica virtus erit, si virtutem et sanam mentem ipsius populi augeat[1]; « et eo melior erit respublica, quo magis tendet virtutes eorum qui gubernantur augere, seu singulorum, seu universorum[2] ». Aliis verbis, hæc erit bona respublica quæ, instar machinæ cujusdam, quam optime componet res materiales societatis, et educationem popularem propagandam ipsa assumet. Hic stat Millius, perpulchre quidem, neque ego formulam alteram noverim magis spiritualem quam eam quam dedit Noster, quanquam metaphysicæ parum fuit curiosus.

« Democratia repræsentativa » quum omnibus reipublicæ præstet formulis, non eo modo tamen præstat quo affirmaverant sæculi octavi et decimi scriptores : scilicet, nequaquam sic convenit Arabibus vel Oceaniæ gentibus ut Gallis vel Britannis ; præstat autem apud quosdam populos, qui in certis conditionibus versentur : quo pacto vero præstat, exempli gratia[3], « bono tyranno » ? nempe « bonus tyrannus » ut esse possit, contineat in se, ut ita dicam, omnem industriam et intellectualem et moralem hujus gentis cui præsit, et unus omnem laborem perficiat multitudinis, quæ jam iners nihil nisi patiatur[4]; contra, in « democratia repræsentativa », quum quisque partem quamdam habeat summæ

1. *Consid. on Repr. Gov.*, trad. fr., p. 41.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 42. Cf. p. 45.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 49.
4. *Ibid.*, trad. fr., p. 62.

potestatis, atque etiam fieri possit ut quisque ad rempublicam ipsam tractandam accedat, munere quolibet publico accipiendo, seu locali seu generali[1], necesse est mentem cujusque moralemque virtutem haud mediocriter augeri. Talis autem ita demum esse poterit respublica, si : 1° populus eam accipere voluerit; 2° si is sit qui omnia faciat ad eam servandam; 3° si is sit qui officia præstet, ac munera impleat quæ respublica imposuerit[2]. Neque omnes gentes, neque gens quædam per totum vitæ suæ tempus hæc tria præstat, quæ ceterum Noster proponit ut necessaria et primordialia, quibus deficientibus ne alia quidem formula reipublicæ subsistere queat[3].

Restat ut definiamus duo hæc vocabula « Democratiam repræsentativam ». Jam agnoscemus neque prius verbum Nostrum definire, quale in Britannia tunc temporis definiebatur; neque posterius, quale apud nos hodie definitur.

Est enim, ut ipse ait, vera quædam « democratia », et falsa. Vera sit « populus omnis gubernans per omnem populum æque repræsentatum ». Falsa autem, « populus omnis gubernans per majorem populi partem repræsentatam, altera parte exclusa[4] ». Priore, æqualitas inter cives conditur ac stabilitur; posteriore, creantur privilegia majoris partis populi. De intemperantia qua pars major partem minorem vexare potest, de jure minoris partis defendendi se, permulta

1. *Consid. on Repr. Gov.*, trad. fr., p. 71.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 93.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 8.
4. *Ibid.*, trad. fr., p. 171.

Noster conscripsit. Deprehenditurque ibi (haud secus atque antea illum deprehendimus, demonstrantes mentis ejus formationem), se gradatim liberare a formulis arctis et absolutis « radicalismi Benthamistici », et poscere libertati jura hujuscemodi, quæ Radicales britanni huic nunquam obtulerint aut servaverint. Quæ autem Noster proponit ut obstet potentiæ impotenti majoris partis, ea sunt inter quæstiones quo induci non queamus; quippe quibus nimis aberremus ab inquisitione hac mere philosophica quam instituimus. Tantum carptim ea enumerabimus, et commemorabimus quam vehementer Noster laboraverit ut « pars minor repræsentetur[1] », quamque vivide « suffragium plurale[2] » complexus sit.

Difficultates « repræsentatione minoris partis » inclusas judicat Noster systemate quod invenit Harius commode vinci. Quod ad « suffragium plurale » attinet, quoad principium æqualitatis violat, respondet alterum esse pro nihilo haberi, neque quidquam vocis habere in deliberationibus de rebus politicis, alterum pati vocem quamdam potentiorem illis concedi qui capacitatem habeant majorem[3]. Neque Noster fortunas majores, sed tantummodo capacitatem majorem nominat : nempe non admittit fortunas majores causam esse cur homo aliquis majus habeat suffragium. Nihil nisi mens valentior, postquam probata est certis quibusdam artibus, magis aptum facit tanto privilegio. Præterea, facile intelligitur « suffragium plurale » ita componi debere, ut nunquam per-

1. *Consid. on Repr. Gov.*, trad. fr., p. 184 et sqq.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 225 et sqq.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 225.

mittat eos, quibus obtigerit, seu singulos seu universos, ea via præstare posse omnibus cæteris[1]. Sic suffragium universale esse potest, admissis, ut par est, feminis (nempe id Noster peculiariter fovet et consequi nititur); nullis exceptis, nisi qui nesciant legere, scribere, numerare (ceterum, doctrinæ omnes hujuscemodi cunctis offerentur, vel gratuito[2]); exceptis etiam qui nullum pendant reipublicæ vectigal. Nempe si jus eligendi ultra eos extenditur, qui quidquam vectigalis dent, jam conceditur « homines de pecunia aliena aliquid sibi assumere, ubi primum libuerit eis rem quamdam publicam vocare[3] ».

Cum ea specie « veræ democratiæ » consentit effigies quædam « veræ repræsentationis » : quæ efficitur, si delineentur munera quæ esse potestatis repræsentativæ debeant[4]. Nam munus gubernandi non est unum e muneribus naturalibus legitimisque Parliamenti; neque munus administrandi; ne munus quidem designandi eos qui *ministerium* formare debeant[5]. Id satis est si Parliamentum designet principem ministerii formandi, et administrationem diligenter observet, et a potestate hac, quæ agit, petat rationes.

Id enim proprium est « repræsentationis electæ », nempe facere leges; neque concio numerosa id commode possit : decet igitur corpus quoddam proprium, et id quidem minime frequens viris, haud secus ac ministerium ipsum, leges *rogandas* curare, non *ferendas*. Quod corpus velut mens

1. *Consid. on Repr. Gov.*, trad. fr., p. 229.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 217.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 219.
4. *Ibid.*, trad. fr., p. 116.
5. *Ibid.*, trad. fr., p. 119.

sit, quæ disponat et fabricetur; « repræsentatio » autem « electa », maneat velut voluntas quæ statuat[1]. Atque Noster minutatim exponit quo modo hoc corpus debeat conscribi, et ordinari, et agere[2]; atque ita melius definit quam quisquam ante illum quæ sint munia peculiaria repræsentationis electæ; neque id fecit jactantia quadam eruditionis, eorum instar qui demum id sibi ipsi gloriæ vertant, si lineas tenuissimas et delicatissima discrimina invenerint expresserintque; neque rursus cupidine quadam divisionis ac determinationis, qualem apud Benthamum deprehendimus. Noster vero, ob id sedulo conatur ut veram naturam « repræsentationis » explicet et veram « democratiæ » naturam, quod e pectore consulit libertati personali. Sic jam nunc affirmatur re quadam, qua postea insistemus, quantus sit individualismus hujus philosophiæ politicæ. Ceterum, res vel magis apparet in libro illo « de Libertate », quem nunc evolvendum habemus.

## II

Non equidem credo esse alio aliquo in libro, nisi forsan in libro quem conscripsit Humboldtius « *De finibus actionis Reipublicæ* » plura placita magna et originalia et præcellentia, quam in hoc Nostri, in quo tuetur doctrinam individualismi, sed hujus quidem omnino non vulgaris.

Quem cursum habuerit notio ipsa libertatis politicæ temporibus nostris, Millius primum summatim demonstrat :

1. *Consid. on Repr. Gov.*, trad. fr., p. 131.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 132-35.

primo enim Libertas nihil erat nisi pugna adversus gubernantium impotentiam, sive multi erant, sive unus. Postea apparent civitates electione gubernatæ, neque ibi jam ulla est potentia absoluta, et contraria iis qui gubernantur[1] : ita ut videatur libertatem jam nullum in discrimen posse venire. Quomodo enim gens requirat « tutelam adversus suam ipsius voluntatem[2] »? Sed postea animadvertitur « hunc populum qui gubernat non eumdem semper esse atque illum qui gubernatur », et « gubernationem sui ipsius », quæ exinde tantopere prædicatur, non magis esse « gubernationem per se ipsum cujusque », quam « cujusque per reliquos cunctos[3] ». Quo fit, ut maximi momenti sit, etiam in hac republica, arcte terminari potestatem gubernantium : nam impotentia majoris partis nihil est nisi impotentia. Quod ut caveatur, oportet non tantum potestatem publicam terminari, sed etiam jura uniuscujusque privata stabiliri, quod attinet ad opiniones moresque, contra opinionem majoris partis audacius grassantem, et vi cogere alios tentantem[4]. Unus adhuc fuit campus, in quo luctatio ad talem acquirendum finem facta est : nempe luctatio de « tolerantia religiosa ». Sed ea ipsa quantum abest ut recte intelligatur! Ibi præcipue ubi non facilior fiat propter indifferentiam[5]. Ceterum, quantacumque est utilitas conscientiæ religiosæ, (neque ulla alia sane major est) non una est quam defendi necesse sit; neque ex ea proficisci principium potest,

1. *On Liberty*, trad. fr., p. 96.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 97.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 99.
4. *Ibid.*, trad. fr., p. 100.
5. *Ibid.*, trad. fr., p. 106.

quod, in qualibet re, monstrare queat quomodo cuncti erga singulos debeant se habere.

Quod principium hujuscemodi esse Millius judicat : nullo modo libertatem ceterorum turbare homines debent, nisi si, « vel singuli vel plures, se ipsos habeant protegendos[1] ». Bonum autem cujusque, vel bonum morale, haud satis est; aliis ut utamur verbis « nusquam in cujuslibet actiones societas jus habet, nisi ubi de ceteris agatur »; ubi autem agatur de se, quisque, seu attinet ad corpus, seu ad mentem, cuncta potest : exceptis nihilominus infantibus, et minoribus, aut etiam « gentibus minoribus[2] ».

Erga ceteros, quisque debet non quidquam noxium agere, imo agere utilia (fidem dare ante judices, et militia fungi). Sic societas potest etiam quidquam verum et positivum in actionibus singulorum : sed liquet in hoc posteriore casu non posse agi tam libere quam in priore[3].

Referuntur autem ad solam cujusque libertatem : 1° conscientia, et cogitatio, et « opiniones sensusque de qualibet re, seu vera, seu speculativa, seu doctrinali, seu morali, seu religiosa », atque etiam expressio publica omnium horum sensuum opinionumque; 2° studia, atque ordo vitæ cum studiis cujusque congruens; 3° societas, ob ea certe facta quæ nulli officere possint. Neque est ulla societas omnino libera, quæcumque est apud eam formula reipublicæ, nisi sint hæ libertates « et integræ et solidæ ». Tribus his e libertatibus,

1. *On Liberty*, trad. fr., p. 109.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 110.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 112.

considerat primum Millius libertatem censendi, qua contineatur libertas dicendi et scribendi libertas[1].

Quum exponit quibus de rebus cogitatio libera omnino esse debeat, miræ sane artis et vigoris miri Millius apparet. Nusquam majore vi est affirmata natura utilitatis hujus præcipuæ — neque enim in toto hoc libro, quod infra iterum notabimus, Noster ad quidquam aliud se refert nisi ad utilitatem; — utilitatis, inquam, peculiaris humanæ societati non damnanti opinionem quamvis aut expressionem hujus opinionis, vel si omne genus humanum idem sentiat, unus autem aliud[2]. Opinio enim quælibet, ut censet Millius, non est unius, sed omnium; quam si exterminaveris, vel inhibueris, non noces uni, sed universis; et « fraudas genus humanum, posteros, haud secus ac præsentes, et vel magis illos qui dissideant ab ea, quam hos qui eam tueantur[3] ». Nempe necesse est opinionem hanc veram esse aut falsam : si vera, hominum genus spoliatur « hoc casu felici, quo falsa pro veris relinquat »; sin falsa, hominum genus « amittet beneficium fere haud minus : nempe perceptionem clariorem vividioremque veri, quæ fiat luctatione hac cum errore[4] ».

Unaquæque res separatim a Millio discutitur, magna cum abundantia exemplorum, et singulari vi dialecticæ, quam hic, quum summam tantum argumentationis præbeam, nedum singula enumerem, omittere debeo. Scilicet, opinio suspecta vera esse potest : igitur, inhibere et contundere

1. *On Liberty*, trad. fr., p. 113-18.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 121.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 121.
4. *Ibid.*, trad. fr., p. 121.

eam, quid aliud est quam affirmare suam propriam vera semper videndi persuasionem[1]? Quis autem eam possidet? Nonne memorabilia exstant exempla et Socratis et Christi adversus illum insanum vel temporis, vel sectæ, vel hominis sensum? — Rursus, suspecta opinio falsa esse potest : debet libere discuti posse, quum, in hoc casu, contraria opinio, opinio plurimorum, non speciem habitura sit « dogmatis cujusdam mortui », sed « veritatis viventis[2] ». Imo, nullo quidquam discutiente, ea ipsa principia quibus opinio plurimorum constat, et « sensus ipse » hujus opinionis obscurari possunt et evanescere : quo fit ut nihil permaneat, præter « corticem » conceptionis cujusdam bonæ et validæ, « essentia autem mera » abierit[3].

Tertia autem res fieri potest : scilicet, ut pugnantes inter se doctrinæ « aliquam quæque partem veritatis habeant[4] ». Tunc dissidens opinio locum habet « necessario » suum, ut veritatem compleat, ubi doctrina vulgo valens partem tantum veritatis recipit. Ita Russæus noster profuit sæculo suo : non enim propius veritatem erant ejus placita quam contraria et fere prævalentia; sed pars in eo quædam erat veritatis, quæ in cogitationes omnium quam utiliter intromissa est : scilicet quæ sit virtus « vitæ simplicis », quo pacto « officiant, et venenum suum propagent mendacia et necessitudines societatis minime veræ[5] ». Quo in casu, velut in præcedentibus

1. *On Liberty*, trad. fr., p. 122.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 154.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 162.
4. *Ibid.*, trad. fr., p. 173.
5. *Ibid.*, trad. fr., p. 176.

duobus, Societatis multum refert pati professionem opinionis cujuslibet.

Quemadmodum cogitationes, ita et acta debent esse libera, quamdiu ceteris non nocent. Quare, et quo e principio? Scilicet quia « bonum est vel utile varias vivendi tentari rationes[1] ». Locus in quo Noster commoda hæc enumerat, quibus ad vitam socialem præstat libera effusio indolis cujusque et ingenii, licet Humboldtius ab eo sæpissime ibi citetur, tamen maxime proprius est Millii, et excellens : nam utriusque similitudo nonnisi in prima fronte est. Humboldtius enim Kantii fautor est, qui juri cujusque solum attendit; Millius autem nihil invocat, nisi ipsius societatis utilitatem. Nam qui semper imitatur, is facultates suas ipsius non auget; rursus qui eligit suam ipsius vivendi rationem, eas quam potentissime prolatat[2] : nonne autem ad socialem utilitatem interest esse quam plurimos vere absoluteque homines, imo viros? Præterea, vel homines ii qui « minus valent » illis indigent « qui magis » ; illique qui, pro sua parte virili, libertate uti non possunt, gratulari sibi ipsi debent, quod alii eadem uti sciant.

Ingenium enim, quo consuetudo dormiens concutiatur, et novum quidlibet in orbe terrarum appareat, haud vivat, deficiente libertate. Et deminutio virtutis originalis cujusque, quæ temporibus nostris non agnosci non potest, modo ea conferas vel antiquitati, vel medio ævo, vel tempori transitionis a medio ævo ad tempora recentiora, rationem dat nonnullarum pessimarum rerum nostræ societatis, et hujus quod

1. *On Liberty*, trad. fr., p. 193.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 197.

Noster vocat « humilem in præsenti statum mentis humanæ ». Nec ullum aliud sit tanto malo remedium, quam Libertas et Varietas, comes certa Libertatis; quod si nobis non cito id remedium continget, periculum est ne res nostræ, veluti res apud Seres, pereant per nimiam uniformitatem, qua progressus omnis impediatur. Imo, si genus humanum amittat visum minimæ hujus, quæ apud nos superest, varietatis, jam id fiet ut « eam ne intelligere quidem queat », nedum jam colat[1].

Nec mirabimur, si principio suo tam animose posito, Millius, pro assueta diligentia et religione, conatur delineare quo fine stet principium. Jam vero indicavit principium quoddam generale et abstractum : sed, in re ipsa, quæ erit hujus inchoatio? Finem autem censet Noster quam latissime prolatandam : nam si quædam unius hominis acta, jure ceterorum non expresse violato, tamen eis nonnihil nocuerint, aut ad utilitates ceterorum non satis respexerint, homo nihil pati debebit, nisi improbationem ceterorum; sed ea tantummodo patietur « quæ sibi impendent ex opinione minime grata ceterorum[2] », neque aliud quidquam majus.

At enim, nonne sunt quædam acta singulorum, quæ ita ad ceteros pertineant ut opinioni omnium quidquam in ea liceat? Objectionis hujus varias intuetur Noster species[3] : qui fortunas suas minuit aut pessumdat, is nocet omnibus qui inde vivebant; item, qui corrumpit facultates suas, vel corporales vel

1. *On Liberty,* trad. fr , p. 200-27.
2. *Ibid.,* trad. fr., p. 234.
3. *Ibid.,* trad. fr., p. 237 et sqq.

morales, ille se facit ipse eum qui non jam ea ceteris merita largiatur quæ jure ab eo exspectent. Quæ omnia quanquam non omnino vana Millius judicat, petit tantum ut detrimentum hoc, ab uno alteri allatum, vulnere tamen nullo clare apparente, « toleretur ob amorem boni illius superioris, libertatis scilicet humanæ[1] ».

Ergo, acta solum (vel abstinentiæ) cæteros lædentia, ut antea positum est, patiuntur coercitionem socialem. Neque id Noster sibi proponit, ut principium sic statutum utcumque sectetur. Pauca exempla, ab eo in ultimo capitulo prolata, sunt potius quasi excerpta, quæ quodammodo illustrent principium generaliter adhibendum, et præcipue obstent nimiis et latioribus rei applicationibus.

Sic, pugna pro vita multos occidit in omnibus munibus, aut certe multos decipit : num autem interveniet societas, et agnoscet iis qui certando gravantur incommodum suum « jus legale vel morale labores suos effugiendi[2] »? Minime : excepto hoc casu, quo rivales melius processerint « istis usi actibus, quas utilitas communis haud patiatur, fraudem aut insidias, aut vim ». Quum commercium sit « actum quoddam sociale », inde sequitur ut universi et pretia imponere possint, et modos fabricationis. Quæ doctrina quidem generaliter derelicta est : sunt tamen casus quidam quibus Lex intervenire se posse credat, alio tendens : sic interdicit venditione potionum quarumdam[3]; sic otium dominicale imponit[4]; quod utrumque increpat Millius. Rursus sunt

1. *On Liberty*, trad. fr., p. 241.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 265.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 253 et sqq.
4. *Ibid.*, trad. fr., p. 256 et sqq.

quædam jura quæ societatis certo sint (de venditione venenorum, de pudicitia violata[1]). Item, habet Societas quiddam juris in pacta : sic, non ea bona esse confitetur pacta, quibus homo aliquis, adhuc liber, vendat suam libertatem, et, pecunia accepta, fiat servus : nam « ex principio libertatis non id consequitur ut cuiquam liberum sit libero non manere[2] ». Sic, Societas matrimonium quoque diligenter observabit, quum matrimonium aliquod, aperte improvidius, « facinus sit grave adversus eos omnes qui labore suo vivant[3] ».

Multa gravia sane arcui, ne nimius forem : nullam tamen rem, ut spero, plane omisi quæ magni foret momenti, dum recenseo attente, licet brevius, quæ liber hic « De libertate » philosophica contineat. Non dubitari potest societatem, ex his principiis proficiscentem, multo majores individualismo tribuere partes, et civi cuique libertatem multo majorem quam eam quam habet in societatibus veris, vel commodissime ordinatis; quum apud Millium non tantum publicæ potestatis coercitionem factam minimam animadvertam, sed etiam alteram hanc, quæ sæpe tam difficile tangitur, quæ tamen vere et dure opprimit homines, nempe coercitionem morum circumfusorum et opinionum prævalentium.

Quem intuetur hominem Millius, quemque tuetur, is non est civis tantum, sed homo; neque tantum homo ita abstractus ut nihil sit præter cogitationem meram, meram-

1. *On Liberty*, trad. fr., p. 267-71.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 280.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 290.

que conscientiam, qualem finxit magna illa « Revolutio Gallica »; at homo concretus, cum omnibus partibus naturæ et physicæ, et intellectualis, et moralis. Cuique partium harum, lucide descriptarum, poscit Noster quam maximam libertatem. Libertatem etiam cunctis poscit, neque solum singulis : quo magis varia erunt exemplaria naturæ humanæ, quo magis hæc varietas se exprimere poterit, eo magis accedent societates ad statum illum perfectum, quo semper tendere et possunt et debent. Neque nunc discutio (mox enim fiet) ad quod principium Noster se referat, quæ sit basis philosophica, et tanquam substantia illius individualismi : sed, remota quæstione soliditatis logicæ hujus systematis, quomodo non suspiciamus et amplitudinem et magnanimitatem et pulchritudinem finis quem attingit?

## III

Facile nunc intelligimus qui spiritus utrumque librum impleat. In duobus, Millius describit quæ sint conditiones necessariæ, ut individualismus plane effundatur, et prolatetur in civitate. Quum magis in hoc conditionibus attendat politicis, in illo magis conditionibus moralibus; hic auctoritatem potestatis in civem minuit, illic opinionis auctoritatem in hominem ipsum. Quod systema si omnino floreat, exstet, cum maxima libertate, maxime originale ingenium apud omnes participes hujus societatis.

Quare, Millius ab illis dissidet qui, quum minime animos curent perscrutandos, tantum quam optime ordinant quam vocant utilitatem libertatis, instrumenta materialia, ut ita

dicam, reipublicæ : sic isti confirmant, aut confirmare contendunt, vitam quamdam liberatam, quoad potest, a coercitione sociali; sed quibus eam vitam confirmant? Scilicet multitudini, quæ innumeris catenis adhæreat et moribus et traditionibus et consuetudinibus translaticiis; in qua dominetur auctoritas, quæ, licet non politica, tamen eo vehementius dominatur et sævit, quod animum ipsum tenet servum. Neque quidquam deest illi multitudini, ut libertate politica fruatur, nisi ut cognoscat libertatem hanc interiorem, nisi huic initietur libertati : haud secus atque nihil deest tot professoribus doctrinæ et reipublicæ liberalis, nisi ut id et noscant et curent quod in homine vere hominis sit; quod in libertate, quasi spiritus ipse sit libertatis; quod in individualismo radix sit et fundus certus individualismi.

Ergo philosophia politica Millii, quum ubique prætereat justos fines philosophiæ politicæ vulgaris, id est systematis quod, bene male, ordinem civitatis intueatur et nexum cujusque cum republica; quum præterea cum visu quodam universo rerum omnium copuletur, philosophia hæc est tota et universa : qualis autem, mox dicemus, et quo modo judicanda.

Primo, breviter dicendum est quomodo cohæreant placita politica et œconomica apud Millium : sic enim hæc opusculi nostri pars conjungetur cum priore, antequam, in sequente, perpendamus utriusque conclusiones jam consentientes et quasi commixtas.

Quum tantopere curet Millius ut cuique firmet, seu attinet ad vitam moralem, seu ad politicam, plenum et quasi exu-

berantem usum sui, ob eamdem causam nititur ut eidem, quod ad œconomiam spectat, seu de laborandi jure tractat, seu de jure possidendi, ac præcipue de jure terram possidendi, minimum quemdam, sed certum victum, et vitam tolerabilem tribuat.

Ibi iterum, quanto præstat Millii doctrina liberalis, ut dicitur, scholæ doctrinæ, quæ conatur ut fingat et componat civitatem quamdam, mire quidem ordinatam, sed multitudinis causa, cujus non solum vitam intimam plane nesciat, verum etiam cujus vel conditio œconomica nullam mutationem profundam requirere illi videatur : certamen ergo inter omnes sævire patiuntur « scholæ liberalis » doctores, vix temperatum beneficentia fere semper privata ; tum ad submissionem et patientiam omnium rerum cohortantur, atque omnino persuasum habent hunc esse verum individualismum. At alio modo Noster : cum cogitantibus viris et decimi octavi sæculi et nostri, illis dico qui « democratiam » optime intellexerunt, et prodesse ei studuerunt, utputa Tocquevillio, cupit quemvis participem societatis esse vere et plane hominem, id est, assequi maximam sui virtutem, seu moralem, seu politicam, seu œconomicam : quod fieri non potest, nisi si te dissociaveris a fautoribus illius « cuncta fiant, cuncta prætereant », meri et absoluti. Quam dissociationem accipit Noster ; et sic apparet in placitis ejus œconomicis, quæ peculiariter illustravimus.

Simili modo, postquam collata sunt placita Millii œconomica cum politicis, commode intelligitur quomodo, quanquam dextram jam pæne tendens socialistis, tamen se segreget et abstineat. Nempe quum non satis habeant si cuique

faciliorem fecerint accessum ad individualismum œconomicum, scholæ illæ partim contendunt rapere sibi hominem, jam omnino constitutum, ut certis finibus adhibeatur, qui non sint ipsius fines, partim, licet non ad idem tendentes, imo aliquando et respuentes, tamen non satis attendunt ut libertas cuique conservetur. Quod, ut antea vidimus, Noster illis ignoscere non potest, nedum cum illis idem assequi nitatur. Quomodo autem istud recepisset, quum nullus unquam tam vivide, quam ille, singulare cujusque ingenium defenderit? Quomodo passus esset una et eadem forma animos omnes, mentes omnes, diligentias omnes fingi, quum « varietas finium » huic non solum bonum quoddam cuique esse videatur, sed bonum primum omnibus, quo deficiente progressus nullus, sed quo præsente omnis fieri queat progressus? Duæ formulæ Nostri, quas quidem jam antea citavimus, quæ autem iterum hic citandæ sunt, singulariter, collatæ invicem, illustrant conjunctionem œconomicæ politicæ et philosophiæ moralis apud eum.

« Id, ut aiebat, decernet, quod ad œconomiam attinet, de doctrinis socialistarum, quales eventuræ sint (quem eventum ille non præsumit, tam dissimilis multorum aliorum), nempe prout quæque reverita erit principium hoc libertatis humanæ, et plures seu pauciores vias ei tribuerit, quibus augeatur ». Et alibi, quod ad moralem attinet, magna vi impugnat libidinem istam Societatis puniendi quædam, vel facta, vel cogitata, quæ, licet ceteris non aperte neque plane noceant, attamen multis modis, sed eis incertis et variis, officere ceteris possint : « Quæ vitia, ait, toleranda sunt ob amorem boni illius superioris, libertatis humanæ ».

Ita, ultra omnia bona, per se amanda est et colenda libertas humana. Pulchrum sane præceptum, præsertim si apud Millium innitatur doctrina quadam libertatis valida et undique munita ac tuta. Id autem num ita est?

# CAPUT QUARTUM

**Philosophicum individualismi fundamentum apud Millium.**

I. *Millius, non unice ut anglus philosophus, sed omnino ut philosophus habitus, Gallicum octavi decimi sæculi individualismum a democratica noni decimi sæculi schola continuatum attingit.*

II. *Quomodo abstracta juris notione careat, et quomodo deficientem supplere quærat.*

*a.* Perpenditur juris ac justi notio. — *b.* Justitiæ apud Millium conceptus.

III. *An sufficiat fundamentum illud?*

*a.* Perpenditur cogitandi libertas quantum publica utilitate modo fundatur. — *b.* Perpenditur criterium illud ex quo Millius discernit aptas et ineptas liberæ disputationi civitates. — *c.* Singulariæ cujusque ingenuitatis notio. — *d.* Præcise definiuntur nostra adversus Millianæ doctrinæ fundamentum crimina.

Unice ut anglus philosophus, certo cuidam tempori ac societatis statui aptus, Millius considerari potest; et antecessoribus ac successoribus conferri, ut anglicæ, quod ad rem politicam et œconomicam pertinet, traditionis particeps. Verum, illius opus etiam pro generali statu Europensis cogitationis spectari potest, id est secundum et assuetam loquendi

consuetudinem et res ipsas, pro britannica, germanica, gallicaque in unum coacta, cogitatione. Nequaquam enim, ut supra dictum est, germanicis aut gallicis fontibus Millius abstinuit : imo, perpetuo cum hac, momentario cum illa commercio usus, merito annumerabitur inter hos philosophos qui, ab extrema octavi decimi sæculi fine, triplex certamen inierunt, haudquaquam omnimodo simile, apud tres quas enumeravi gentes, de optima civitatis conformatione, et mutuorum hujus civiumque officiorum determinatione. Sic, ut fortis quidam et egregius individualismi miles apparet Millius ; si modo falsis quibusdam ac nimium intempestivis notionibus de vera individualismi natura mentem tuam exonerare caveris, et individualismum, non prout vulgo esse perhibetur, sed prout re vera est, intelligere conaberis.

Alias[1] enim demonstrare tentavi vulgarem istam individualismi notionem, quæ nihil fere aliud in eo esse docet, nisi uniuscujusque civis erga civitatem ipsam defensionem et quasi rebellionem, nec unam esse quam patiatur individualismus interpretationem, nec optimam aut verissimam. Imo, ostendisse me in hoc, cui nunc alludo, libro plane confido, adhibita socialium et politicarum hujus sæculi doctrinarum historia, et *quomodo* et *quando* et *cur* falsam istam figuram individualismus induerit. Quum ergo Nostrum ut individualismi fautorem ostendo, illam individualismi formulam intueor quam, idæarum historia duce, et ab Europensibus philosophis ac scriptoribus conceptam, et a « Gal-

1. Cf. *L'Idée de l'État.*

lica revolutione », ut tempus patiebatur, factis ipsis accommodatam, et a recentiore « democratica schola » apud nos, nec semper quidem felicissime, usurpatam fuisse jam probavi.

Individualismus autem, ita conceptus, quum istud et civium et civitatis invicem reluctantium antitheton, ut enorme ac plane arbitrarium, ejecit, omnibus uniuscujusque conatibus, ad plenam suæ ipsius personæ possessionem adipiscendam, favet; nullis non assumptis opibus, vel ista Civitatis cooperatione, quam non ut finem quamdam pro se obtinendam, sed ut viam ad fines summi pretii acquirendas certissimam ac directissimam commendat. Perfecta autem, et usque ad culmen producta uniuscujusque persona, nihil jam sibi permittat civitas, atque omnino non apparere studeat. Qualem enim se præbeat? aut quid adhuc operandum sibi vindicet, in hac societate, in qua, omnibus jam personæ suæ plane participibus ac consciis, nulla jam illarum rerum agenda ei supersit quibus agendis impar habita sit communis omnium et bene faciendi et a ceteris merendi et justitiam colendi voluntas, non ad id solum intenta, ne quis inter cives ceterorum culpa aliquid detrimenti capiat, sed ad id quoque, ut omnes socii quam maximam utilitatem invicem sibi suppeditent?

Talem fuisse individualismum, Millii quidem sententia, pro certo habeas; quippe qui talem in civitate ordinem, talibus viis adhibitis, regnare cupiat. At si consentiunt inter se miro quodam modo et quas eligunt viæ, et quos prosequuntur effectus, plurimum abest ut idem principium et Millius et illi quos supra nominavi similiter invocent; usque

adeo ut, utrum solida sint an ruinosa illa, quæ superstruendo monumento fundamenta Millius posuerit, quæri posse videatur.

## II

Illi quorum opus operi Nostri tam simile esse et censeo et ostendo, seu octavi et decimi seu noni et decimi sæculi scriptores, abstracta quadam et juris et moralis personæ notione, qualem et Russæus et Kantius proposuerunt, individualismum fulcire conantur. Millius autem, fidelis Benthami discipulus, hoc certe loco, quanquam sæpius aliis de rebus ab illo secessit, abstractam et juris et moralis personæ et justitiæ notionem procul ejicere studet.

Quum enim politicum suffragium quam pluribus civibus concedendum esse docet, nequaquam existimat illum qui gubernatur, partem aliquam gubernationis jure quodam tenere : nihil enim aliud est constitutio illa civitatis quam præstans ceteris modus, ad implendam obtinendamque summi pretii quamdam finem. Nec ita se habet hic modus ut conditiones ac terminos non patiatur[1]. Ipsum enim suffragium non jus, at *munus* esse censet Millius : unde multa et omnino non negligenda decurrunt. Nam si muneris mei est suffragium dare, nullum jam in collocando suffragio locum apud me tenere potest aut odium, aut amor, aut propria opinio ; imo, conculcanda sunt propria mei vota, ut quum

1. Stuart Mill, *A. Comte and Posit.*, trad. fr., p. 79.

reddendæ præponitur sententiæ vir quidam juratus[1]; denique, ut omnia uno verbo complectar, officio fungor, non alio quovis opere[2]. Omnino, ut facile intelligis, absunt a Nostri doctrina et jus naturale et justitia ipsa, quantum ab utilitate secedit et omne cum experientia commercium repudiat[3].

Quæritur de notione justitiæ sub extrema illius opusculi fine, cui *Utilitarianism* inscribitur, neque aliud est hoc opusculum, ut in proœmio alius cujusdam Millii libri legimus[4], quam duo scripta, in unum coacta, quorum alterum *Justitia*, alterum *Utilitas* prius inscribebatur. In hac disputatione, duæ distinguendæ sunt partes, affirmativa scilicet ac negativa. Negativæ nihil inesse mihi videtur, quod legentem peculiariter moveat. Justitia enim ad utilitatem, ut hujus scholæ mos est, redigitur. Verum, non sic se habet affirmativa pars, in qua ipsa utilitatis notio, qualem Noster finxit, adumbratur.

Licet enim una modo sit via, qua justitia cum utilitate copulari possit, aut demonstrari quantum experientia valeat ad excolendam justitiæ notionem, utpote quæ duobus tantum elementis constet, quorum alterum vitæ regula, alterum animi motus sit, quo ipsa vitæ regula sanciatur, nec aliter hæc regula concipiatur quam ad summam utilitatem capessendam aptissima, nec aliter hic animi motus quam ad puniendos eos, qui justam vitæ regulam omiserint, pro-

1. Un juré.
2. Stuart Mill, *Considerations on Repr. Gov.*, trad. fr., p. 258.
3. Stuart Mill, *On Liberty*, trad. fr., p. 111.
4. *Nature, The Utility of Religion and Theism*, trad. fr., *Avertissem.*, p. I et II.

nissimus ; at multæ viæ sunt quibus publica ea, cui serviant omnes, utilitas concipiatur ac constare videatur.

Satis porro notum est quæ elementa, secundum Millii sententiam, utilitas capiat : primo enim *qualitatem* voluptatis non minus ac *quantitatem* æstimat[1] ; dein, non unicuique suam, sed communem omnium felicitatem omnibus obtinendam censet, « quum singularia quæque vita non solum totius humani generis vitæ plane adhæreat et quasi ligata sit, sed etiam, quantum ipsa rerum natura permittit, his omnibus, quæcumque in orbe sentiunt[2] ». Quod plus est, in obtinenda universa felicitate vel sic concepta, inesse aliquid vani ac decipientis Millius omnino non negat, et hos præcipue nisus commendat, quibus aut malum a ceteris detorqueas, aut ictus et vulnera mali, quantum in te sit, cures ac foveas[3]. Quem animi habitum, ac vitæ ordinem, hujus, qui *resignatio* vocatur, sensus quam gaudii propiorem, educatione quadam, ad id ipsum præsertim intenta, nulli non præberi posse existimat[4]. Ita ut jam apud Nostrum præcipuo sane loco collocatæ appareant, et mens corpore potior, et suimet ipsius ad alios fovendos oblivio, et malorum mitis ac facilis acceptio : quæ omnia doctrinæ cujusdam elementa esse videntur, ab utilitarismo maxime distantis.

Nec satis fuit Nostro hæc elementa doctrinæ suæ rursus inseruisse : spiritum enim, ut ita loquar, doctrinæ suæ in hac « aurea regula » versari putat, quam Nazarenus insti-

1. Stuart Mill, *Utilitarianism*, trad. fr., p. 16 et sqq.
2. *Ibid.*, trad., fr., p. 24.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 25.
4. *Ibid.*, trad. fr., p. 34.

tuit : « alteri ne facias quod fieri tibi nolis; proximum dilige tanquam temet ipsum[1] ». Nec aliter res se gerit, si de « sanctione » quam patitur hæc, cui adhæreat doctrina, sciscileris : ad conscientiæ enim tribunal appellat[2]. Quum ergo in extremis hujusce, de quo nunc disserimus, opusculi lineis, justitiam nihil aliud esse nisi utilitatem Millius ostendere parat[3], procliviorem jam legentis mentem invenit ad hoc admittendum : hanc silicet supra dictam utilitatis notionem, quæ tot elementa, ab ipsa utilitate adeo aliena, contineat, justitiam merito includere posse.

Non ergo ideo Noster ab illis, cum quibus confertur nunc scriptoribus distat, quod aliis constare elementis aut bonum aut virtutem aut justitiam dixerit; sed quod aliunde et justitiæ et virtutis et boni originem fluere credidit, et quod ad alias confugit rationes, dum hæc agenda commendat, illa vero fugienda damnat. Quæ enim fieri debeant aut non fieri, non aliter atque alius quidam philosophus, christiano spiritu afflatus, Millius discriminat : verum enimvero, quum philosophus ille testes doctrinæ suæ et *Deum* et *Justitiam*, in hominis corde innatam invocat, utilitatis tantummodo nomen Noster pronuntiat. Quum autem eum interrogabis qua de ratione utilitatem unam esse et excellentem humanæ vitæ finem censuerit, in ipsis factis responsum jacere profitebitur : neminem enim esse qui hanc finem ceteris non præponat. « Quare ab omnibus felicitas cupiatur, explicare haud possibile est; verum omnibus notum est

1. Stuart Mill, *Utilitarianism*, trad. fr., p. 33.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 52 et sqq.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 83 et sqq.

unumquemque felicitatem suam et cupere et persequi[1] ». Quod si institeris, dixerisque : « non, hercle, nego ad felicitatem unumquemque suam quam maxime intendere ; verum rogo utrum hæc unica sit hominum finis, an aliquot inter eos exstent, qui, neglecta felicitatis cura, virtutem colendam esse existiment; unde, illud merito mihi sequi videtur, fines quasdam ipsa felicitate potiores ac nobiliores exsistere posse » ; id sine dubio respondebit Millius : homines scilicet esse qui virtutem, posthabitis ceteris rebus, unice diligant ac foveant ; nec eos, sic agendo, male aut insipienter agere, quippe qui virtutem tanquam « felicitatis quamdam partem » amplectantur.

Nempe et Millius et quicumque philosophi morales notiones ab experientia manare confidunt, nihil aliud virtutem olim fuisse nisi instrumentum quoddam felicitatis judicant, quod postea in locum finis evaserit[2]. Virtutem enim colere, optimo ac sapientissimo cuique voluptas est exquisita ; a virtute autem discedere, malum quam gravissimum. Ita ut non sit virtus finis quædam a felicitate distincta, sed confundantur in unum, et pro fine una habeantur et felicitas et virtus. Novissimum denique argumentum « evidentiam » Noster affert ; nempe « evidenter », illius quidem sententia, rem ita se habere intelliges, si sedulo temet ipsum introspexeris, nec non et aliorum observatione innixus fueris[3]. Tum enim plane tibi manifesta erit hæc sententia : « aliquid optari ab aliquo, non pro hac, quam perceptam iri existi-

1. Stuart Mill, *Utilitarianism*, trad. fr., p. 70.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 73.
3. *Ibid.*, trad. fr., p. 77.

met, voluptate, et physice et metaphysice omnino fieri non posse[1] ».

Si quod supra dictum est plane intelligitur, fatendum est nostrum « Eudæmonistam » fuisse, et felicitatem quasi in fastigio humanæ vitæ collocavisse, nihil tamen ex his detrahentem, quæ locum magnum in vita merito tenent, pietate scilicet, aut sui oblivione, aut dono sui, aut virtute. Parum ergo Millius ab illis philosophis distat qui, nequaquam empirico more usi, notiones contra morales a priori conditas esse arbitrentur. Quod ad implenda saltem officia pertinet, nullus inter hos et Millium discriminationi locus : eadem utrique volunt, eadem nolunt, eadem agenda existimant; si autem quare sic sentiant interroges, illi : « sic ago ut Deo placeam, ut justus sim, » respondent; Millius vero : « sic ago, quia, si aliter agam, et non omnia, quæ per me stant, faciam ad justitiam observandam, ad merendum de Deo, *admodum miser sim*, ideoque vivendi causas perdam ».

Quum inutile sit, quamdiu de uniuscujusque conscientia modo agitur, philosophos qui, in quacumque occasione similiter agendum censeant, certamen inire, ac diuturna controversia morari, res aliter se habet, quando de justitia agitur, aut de juris notione, ea præsertim facie consideratis, quæ ad societatem humanam et commercium inter cives spectat. Quod porro nunc examinandum habemus, summa quidem

1. Stuart Mill, *Utilitarianism*, trad. fr., p. 78.

cura; nam, prout expedietur quæstio, seu affirmative, seu negative, aut solidum aut infirmum aut ancipiti loco positum individualismi id fundamentum, quod Millius condidit, nobis esse videbitur.

## III

Hic nunc perpenditur (parce, precor, iterum atque iterum monenti, quandoquidem multum interest ne aliquid dubii remaneat) non doctrina quam Noster fundavit, non illius politicæ, aut œconomicæ, aut psychologicæ theses, at hæc, qua superstruuntur theses ipsæ, basis.

Nulla sane alia ratione melius propositi mei compos esse possim, quam adhibitis quibusdam exemplis, ex operibus Nostri depromptis. Quæ quidem in iis illius operum partibus quærenda esse mihi videntur, quibus supra jam allusimus; adeo ut brevior ac facilior disputatio evadat.

Primum quod afferam exemplum ab illis paginis mutuabor, quibus asseverat Millius, quum de cogitandi libertate loquitur, etiamsi totum genus humanum aliquid verum esse credat, unus vero homo idem falsum esse existimet, non magis esse generis humani huic homini silentium injungere, quam hujus hominis generi humano[1]. Quæ quidem sententia merito nobis visa est « individualismi » cautio quam certissima, et quasi palladium. Verum enimvero, quid de hac ratione sentiemus, qua innititur Nostri sententia? Non enim,

1. *On Liberty*, trad. fr., p. 121.

ut jam diximus, uniuscujusque jus Millius vindicat, sed ad utilitatem ipsius generis humani vertitur. Quum silentium alicui injungis, non jus illius infringis, sed universos homines « furaris[1] ». Quod sic Millius demonstrare conatur : quam silere jubes opinionem, ea aut falsa est aut vera ; si vera, quum eloqui illius auctorem genus humanum vetat, aliqua veritatis parte fraudatur ; si contra, falsa, ideo quoque aliquid amittit genus humanum, quum hoc bono fraudatur, quod semper veritati affert veritatis ipsius cum errore collisio. Quæ quum ita Nostro esse videantur, jam quærendum est an uniuscujusque plena cogitandi libertas adversus omnia pericula revera defensa sit, si stet pro ea tantummodo communis utilitas?

Duabus his tantum conditionibus salva esse potest hæc quam merito Stuartus Millius dicit libertas : primo, scilicet, si unusquisque civium communem utilitatem optime intelligit, quæ quidem nullo modo, ut plerisque videtur, meram opinionum unitatem et concentum requirat, verum varietatem potius, utpote quæ ea inter homines discrimina faciat, quibus alatur ipse progressus ; secundo, si unusquisque civium a vi abhorret, et ceterorum libertatem non minus amat ac diligit, quam suam ipsius. — Nec quisquam est quin profiteatur, deficientibus illis conditionibus, nequaquam in tuto versari privam cogitandi libertatem, licet sub publicæ utilitatis præsidio collocatam. Publica enim utilitas, ad fines suos implendos, vim facilius requirit ; et sponte profitetur omnes contra unum recte necessario judicare ; ita ut mirum admo-

1. *On Liberty*, trad. fr., p. 121.

dum esset, si semper et ubique, cum aliquo dissentiens, in ejus personam indueret ipsius, quem adversum sibi invenisset. Difficillima est jam, non in libris scribendis, sed in usu vitæ, dissentientium plena toleratio, vel quum publicæ utilitati uniuscujusque jus opponitur, summa reverentia adeo dignum, ut, quod verum bonumque ipsa societas esse censet, id singularibus uniuscujusque opinionibus postponendum esse fateatur. At quanto difficilior, quum non individui cujusque jus publicæ utilitati opponitur; imo, quum nullum jam locum tenet ipsa juris notio.

Nec, dum hæc pericula, aut has difficultates evolvo, fieri posse obliviscor ut multa, quæ nunc tam longinqua et, ut ita dicam, auditu portentosa esse videntur, ideonea mentium cultura adjuvante, in usum olim veniant; quæ quidem cultura, si modo culmen suum obtinuerit, atque omnium animos æque informaverit, civitatem humanam haud dissimilem civitatis illius efficiet cujus imaginem tantum exprimere Noster sibi proposuisse videtur. Verum enimvero, ubi tali prospectu quæstionem consideras, Nostri doctrinæ eadem merito objici posse fatearis necesse est, quæ ipse socialistis quibusdam objecit. Nequidquam enim aiunt socialistæ : « Nolite hoc nobis crimini dare, quod ad vim nimium confugimus. Idonea enim mentium cultura et hominem et civem sic instituendum censemus, nec non et institui posse speramus, ut, omni olim suimet ipsius cura posthabita aut omnino rejecta, se ceterorum utilitati parandæ tam pronum ostendat, quam nunc propriæ utilitati unice colendæ pronus merito esse dicitur ». Quod quum non neget Noster fieri olim posse, nihilominus ostendit vim, favente illorum doctrina, quod ad præsens ac fere, quan-

tum prospici potest, futurum quoque tempus attinet, magistram fore et arbitram humanarum rerum. Quapropter res novas, a socialistis haud immerito quæsitas, Millius rejiciendas tamen esse arbitratur, ne vis efflorescat hoc in orbe et exspatietur. Nos quoque, quum admodum ingenue ac fortiter ac speciose haud pari tamen felicitate egisse Millius nobis videatur, ut abstracta juris naturalis aut rationalis notione procul rejecta, staret tamen uniuscujusque libertas, et censere et dicere debemus procrastinandum esse, quamdiu omnino non mutata erit hominum mens atque animus, regimen hoc civitatis, quod inermem tunc relinquat ac diu sane, ne dicam semper, relicturum sit unumquemque hominem pro universo ceterorum cœtu. Quod si quis nunc quærat quare sic et censeamus et loquamur, nullum aliud responsum interroganti dabimus, nisi quod et ipse Millius dedit, rogatus qua de ratione utilitatis notioni potissimum adhæreret : evidenter scilicet ipso quidem facto patere cuicumque, et semet observanti et ceteros, nullo magis momento quam utilitate hominum animos et impelli et impulsos agere.

Alterum nunc afferamus exemplum, quod a priore non omnino alienum est. Infinitam enim aut unius aut plurium potestatem in civitate Millius valde impugnat, sic ab individualismo bene meritus. Verum eam, quam ferociter vindicat libertatem, maturo tantum homini, et omnium facultatum plane compoti tribuendam esse censet. Pueros[1] igitur et adolescentes, dum « minores » sunt, excipit ; nec non et nascentes civitates, ubi homines ipsi tanquam « mi

1. *On Liberty*, trad. fr., p. 110.

nores » habendi sunt. Excipiuntur quoque primæ illæ difficultates in ipsa, quæ ad progressum ducit, via; adeo quidem graves, ut raro eligi possit quibus superentur opibus. Ita fit ut progressus spiritu afflati principes omnibus uti sinantur opibus ad hunc finem implendum; et ipsa infinita potestas legitimum regimen evadat, quum de barbaris agitur, modo illos meliores facere ii qui regunt intendant; ac felici rerum eventu plane absolvatur, quod usurpatum fuerit, tyrannicum instrumentum. Principes sequi, quales aut Abkarius aut Carolus Magnus fuerunt, ea demum optima est generis humani fortuna, quum tam felix fuerit ut tales viros inveniret. Resque ita se habebit usque ad hunc diem quo « meliores fieri liberis et æquis disputationibus jam poterunt ». Quod, ut addit Millius, jamdudum partum conquisitumque est apud has gentes de quibus nobis inquirendum est[1].

Historiam sane legenti, hæc opinio in dubium vocari non potest. Nam Caroli Magni principatum, pro hac qua vixit ætate, pro peculiaribus illius ætatis necessitatibus, optimum fuisse haud ego negare velim. Maluerim tamen Nostrum talia accepisse nonnisi ut fatalia quædam; nedum ea, quæ inde manent, beneficia alacrius laudaret. Ceterum, parvi esse momenti fatendum est id quo a Nostro dissentio. Magis prorsus interest notare Millium, hac de re a « benthamistis » secessisse, et historico quodam spiritu imbutum se ostendisse. Semper vero timendum est ne, dum hunc spiritum accipis, plus quam necesse sit accipias. Multa sic argumenta valent adversus hanc, quam mensus est Millius periodum, ubi prævalebit illa,

1. *On Liberty*, trad. fr., p. 110.

de qua optime locutus est, absoluta libertas. Primum enim, mihi displicet hæc loquendi formula : « quum genus humanum emendationis ac progressus capax erit ». Nam quantum inter se differant variæ gentes, quod ad culturam pertinet, consideranti, æquius, ni fallor, esse videbitur verbo arctiore uti, neque de « genere humano », sed de « gente quadam », de « civitate quadam », loqui. Ne tamen plus justo ibi moveamur : verisimile enim est vocabula tantum inter nos Milliumque differre; et Millium ita hac de re sentire, ut sentire eum cupimus.

Restat, nihilominus, ut quæramus quibus ex indiciis æstimanda sit civitas quædam maturitatis punctum attigisse, et « major » facta fuisse, et ad « liberam et æquam disputationem idonea ». An quando unanimi cives, aut major civium numerus, aut saltem multi inter cives hanc, qua utitur Millius, loquendi sentiendique ingenuitatem probaverunt? An quando unum ex ipsis, quicumque sit, libere et cogitare et scribere et loqui de quadam summi momenti materia iidem patientur? Si vero sic statuis, eos omnes, qui ante fatalem hanc diem libera cogitatione usi sunt, quantum ad civitem spectat, male egisse existimas?

Quam multæ autem, post longum hoc temporis spatium, cui aptum forsan fuerit Caroli Magni gubernandi regimen, adversus liberam seu de religione, seu de philosophicis aut politicis rebus cogitandi rationem, injuriæ factæ sunt! Nec equidem obliviscor Nostrum vehementer istiusmodi injurias et increpare et detestari. Verum enimvero non hoc agitur quid *ipse* de his sentiat; sed utrum principium quoddam statuerit necne, cujus gratia et auctores horum facinorum et

ii, quicumque auctoribus eorum faverint, vel pro eo quo vixerint, tempore, condemnari mereantur? Quum enim dixeris : « unusquisque *jus* quoddam conscientiæ habet, quod neque quisquam alter, neque ceteri in dubium vocare aut quovis modo aggredi possint », tale principium erigis ac fundas. Quum vero illo, quod « medium ævum » dicitur, tempore, ii qui libere cogitaverant, in rogum imponerentur, utrum fieri poterat necne, ut ii, qui tum viverent homines, jam intelligerent publicam utilitatem id requirere, scilicet ut libere et vera et falsa proferrentur, ad summum et uniuscujusque et ipsius veritatis honorem bonumque?

Ita porro, et historico, quem nominavi, spiritu afflatus, atque, ut fidelem magistri sui discipulum decet, horrore quodam « juris naturalis » percussus, eumdem fere locum tenet Noster, mutatis mutandis, atque ii qui, nostra quidem et regione nati et lingua usi, « liberalis scholæ » fautores, iisdem fere rationibus impulsi, admodum inermes exstiterunt, vel optima et sentientes et prosecuti, quum in solido quodam fundamento individualismum frustra ponere quæsierunt, cujus tamen causam vehementissime et eloquentissime agere haud desierunt. Quibus nihil nisi successus defuit, quum successisse ea demum dicenda sit doctrina, cujus omnes inter se partes plane cohæreant, et quæ sibi semper constans, « qualis ab incepto processerit », ad finem usque pervenerit.

Novissimo denique exemplo utamur, quod propositum nostrum in lucem vividissimam vocabit. Quanti pretii Millio fuerit hic, qui dicitur, Progressus, supra jam ostendimus. Progressum autem a singulorum exemplis vim suam mutuari

existimat. Unde fit ut quos nominavit Carlylius « heroas », Millius quoque dilexerit ac laudibus ornaverit. Imo, opus eorum esse censet, et quasi debitum munus, hanc formam frangere, in quam plerique homines quasi conjecti, ad eamdem assuetam speciem omnes constanter effinguntur. Nec illud, ut ait, flumen quod Niagara vocatur, placido tanquam batavus quidam canalis decursu fluere potest[1]. Haud equidem hoc de verbo Nostrum corripere velim, quippe qui summa, ut semper, sedulitate cogitationem suam observandi ac finiendi cupidus, extemplo caverit ne « heroüm cultum » propagavisse, aut « heroïbus » orbis imperium tradidisse ferretur. Nihil enim aliud illis vindicandum censet, nisi viam ceteris ostendendi facultatem[2]. Quam quidem facultatem Noster optime metitur et quasi temperat. Verum, suam ipsius sententiam, non « heroüm » sic explicat. Verisimilius autem mihi esse videtur « heroas », si Nostri verbis ac rationibus uti velint, quibus adeo vivide peculiarem eorum in societate humana conditionem depinxit, multa ibi argumenta reperire posse, quibus innixi, se, ut necessarios omnis Progressus auctores in civitate, prædicent ac glorientur.

Quid vero de communi libertate tunc fieri censes? An civitas tunc etiam libera est, quum omnes exemplum quoddam, vel bonum, imo optimum, sequi jubentur? quum non agnoscitur uniuscujusque, vel humillimi, jus abstinendi? Scio equidem extremam hanc conjecturam esse, et quasi paradoxon : necesse tamen mihi esse videtur, si uniuscujusque libertatem plane servare et in tuto collocare velis, huc usque progre-

1. *On Liberty*, trad. fr., p. 209.
2. *Ibid.*, trad. fr., p. 212.

diaris; et quum optandum sit ut imitatores multos in civitate habeat hic, qui apud « heroas » reperitur, novitatis amor, tamen uniuscujusque jus vel optimam novitatem nullo modo amplectendi reservare et quasi consecrare studeas. Quo omisso, pericula statim nascuntur, quibus et obrui potest, et necessario, ni fallor, obruetur hæc, quam tanti facimus, non totius civitatis, sed uniuscujusque civis, et plena et absoluta libertas.

Aliquantum hæsitavisse me fateor, antequam novissima hæc proferrem. Adeo enim stricta est et certa Millii cogitandi ratio, ut quemdam minus resistentem locum in illius scriptis indicare et difficile sit, et « periculosæ plenum opus aleæ ». Hujuscemodi tamen locum hic attigimus : nequidquam enim apud Millium quæsivi æqualitatis, quod ad usum libertatis spectat, notionem. Quin etiam, intelligere sane me confido quare quærentem me defecerit hæc notio. Nullo enim modo Noster æqualitatis, in genere quovis, laudator aut amator fuit, nedum patronus. Imo, si verbum bono sensu eodemque altissimo usurpaveris, inter eos annumerandus est qui « optimatum » causam haud inimicis considerent oculis. Quanto plus quisque « valet », tanto pluris illum Millius facit. Nec singularis ille uniuscujusque « valor » chartis aut diplomatibus declarari vult; hunc tamen indicem habet naturalis cujusdam inter homines et ordinis et intervalli. Ideo rogavit ut quibusdam plura suffragia tribuerentur. Quum rationes inspicis, quibus hanc confirmaverit opinionem, vides Nostrum plane accepisse ea quæ a cive quodam dicta sint, et quod ad intellectum et quod ad res morales pertinet, præstantiore, plurimum apud judi-

ces valere, non modo ipsorum judicum arbitrio (quod demonstrare, imo dicere supervacaneum fuisset), sed ipso civitatis regimine. Quod si regimen civitatis uniuscujusque verba ante judices idem valere permittit, falsum aliquid pro vero dat[1]. Sic prorsus fieri Noster existimat in re politica. Qui enim plus cultura aut morali sensu valet, pluribus ille suffragiis fruatur. — Quid de hac opinione sentiendum sit haud investigo : satis mihi est eam, qua innititur, rationem mecum recolere, et lectori meditandam tradere. Vividius quidem sensit Noster quantum homo ab homine differat; nec mirum, quandoquidem ab ipsa illius et mentis et ingenii natura sensus ille procedit, deficiente omnino apud eum christiana hac æqualitatis inter homines notione, quæ individualismi et pars necessaria et firmissimum præsidium merito habenda est.

Nec, ut opinor, nunc difficile est intelligere quo tendat, et quid valeat ea, cui jam incumbimus, disputatio. Individualismus, apud Nostrum, nobile quoddam ædificium est, summa, ut putamus, cura, necnon et felicissima ornatum; cujus tamen fundamenta aliquantum peccant, deficiente hac moralium rerum et juris notione, quæ nonnisi a priori statui potest. Aliquantum autem, non omnino peccare fundamentum illius individualismi dicimus. Nam, quum abstractam juris idæam Millius negligat, hoc ipso prohibitus ne hanc personæ moralis notionem attingat, qua demum stat omnis rectus individualismus, adeo tamen vim ac pretium

1. Stuart Mill, *Consid. on Repres. Gov.*, trad. fr., p. 224 et sqq.

individualismi sentit, ut eas, quæ absunt, notiones, partim saltem apud eum suppleat sensus ipse.

Quidquid enim Millius ad vitandum hoc verbum conatur, tamen « juris » haud ignarus est. Quis autem oblivisci possit hanc, quam supra retuli, sententiam : mala aut pericula, quæ e variis hominum opinionibus nascantur « propter superius hoc bonum humanæ libertatis toleranda esse »? Qui sic locutus est ab imo pectore philosophus, ille jus ignoravisse vix dici potest. Juris enim amori libertatis amor non solum cohæret, sed etiam coalescit. Ita ut, tum quum desinit, arctior fiat hæc disputatio, ac finibus certioribus includatur. Non quod ad auctoritatem doctrinæ pertinet, aut, ut ita dicam, ad illius sonum, sed tantummodo quod ad logicam et consequentiam et cohærentiam, individualismo Millii aliquid defuisse putamus.

# CONCLUSIO

I. *Totius libelli summarium.*

II. *Quid sit omni secum cohærenti individualismo necessarium.*

## I

Quod in hoc opusculo demonstrare voluimus, nunc repetendum est, ac breviter finiendum.

Duplicem illam doctrinam, qua imbutæ fuerunt mentes Anglorum philosophorum, Millii quidem tempore, ante omnia adumbravimus; post, quomodo Millius utramque receperit, et unam per alteram correxerit, quidquid boni utrique inesset, id suum faciens, ostendimus; deinde, illius mentis historiam evolvendam curavimus, usque ad hoc tempus quo, repertis ac determinatis omnibus elementis, suum Noster systema ædificavit.

Cujus quidem primum œconomicam, deinde politicam partem descripsimus, idque individualismi nomine utrinque dignum invenimus. Cavendum tamen esse memoravimus ne Nostri doctrina cum ea, quam vulgus Individualismum vocat, immerito confunderetur; eos, quibus distent, locos recensuimus, et quos secutus fuerit Noster magistros enumeravimus. Dum vero Millium cum altissima hac Gallorum

octavi et decimi sæculi philosophorum doctrina, nec non et cum nonidecimi sæculi « Democratica schola » consentire docebamus, utilissimum esse credidimus differentias in lucem vocare, et unde veniant, et quare fiant, quærere. Quapropter, sub finem opusculi nostri ad id adducti fuimus, ut parum, quod ad logicam spectat, cohærere individualismum Millii ostenderemus, et adversus non eadem sentientium crimina haud satis munitum esse.

## II

Certo, ut opinor, ibi concludetur « Individualismum », si modo sibi constare velit, nec ullam intimam objectionem pati, neglectis quidem et omnino derelictis his, quæcunque forinsecus veniant, ex his notionibus vim suam trahere, quæ a priori ponuntur: quales, et Jus Naturale, et Justitia. Quæ, quum multum ab experientia mutuentur, non tamen omnino ad eam reduci possunt, et peculiare aliquid et ingenuum admittunt, quod utilitatem non gradu solum, sed et natura excedat.

Quod altero libro ostendere conatus, bonum tamen, imo necessarium existimavi, politicam et œconomicam Millii philosophiam separatim examinare, propterea quod, nusquam alias, apud nullum horum, quos cognoverim, scriptorum, seu Anglus, seu Germanus, seu Gallus fuerit, alterum exemplum ad demonstrandam opinionem meam invenire potuerim adeo insigne ac validum. Nemo enim vividius quam Millius sensit quid sit, et valeat, et possit, et mereatur

homo quisque; nemo accuratius aut felicius promovendæ individui cujusque causæ studuit. Si ergo penitus inspectæ illius thesi aliquid deesse comperimus, nonne perspicuum est partem illud esse « Individualismi » haud dissociabilem?

Ipse autem « Individualismus » pars est, ut, in hoc, quem supra jam tetigi, libro, ostendisse me confido, amplioris cujusdam rerum interpretationis, quæ impeti et labefactari nullo modo potest, nisi istorum argumentorum ope et opera, quorum usum necessario respuit quicumque critico philosophandi genere vel aliquantulum imbutus fuerit[1].

1. Cf. *L'Idée de l'État,* Conclusion.

VIDI AC PERLEGI,

LUTETIÆ PARISIORUM, IN SORBONA,

NONIS FEBR. ANN. MDCCCXCV

Facultatis litterarum in Academia Parisiensi Decanus.

A. HIMLY

TYPIS MANDETUR

Academiæ Parisiensis Rector

GRÉARD

30628. — Typis mandebat Lahure, via dicta de Fleurus, 9, Parisiis.

30625. — PARIS, IMPRIMERIE LAHURE
9, RUE DE FLEURUS, 9